



1. Rus s: Joh. Reich: s: diff. de Serpente fo-
 ductore non naturali, s: solo Diu Bollo
 iene 1712.
2. — diff. de Mario Magis in Montem Pinai
 accessu, jene 1716.
3. — diff. de iudaea rebus pectis et
 miraculis Christi & Clara jene 1733.
4. — diff. de veris Spectatorij Jesu Christi
 requiefitis jene 1733.
5. Rur Meyer s: Mich. Christ: s: diff. de Ara-
 ne, viro sancto tribus Leri, typo
 Christi, Gryphie 1738.
6. Sauerbreij s: Joh. s: diff. de Deo uno et
 trino 1648.
7. Schaeferi s: Iac: s: diff. de septem spiritu-
 tibus a Joh: Theologo celebratis
 Lipsie 1736.
8. Schelzuijgh s: Sam: s: diff. de dono fidei
 justificantis, 1739.

9. Schelzinger sam. / diff. de patrini, Ma.
 trinior. 1654.
10. Schertzer s. Joh. Ad. / diff. de illustrissima
 divine immutabilitatis Majestate Wittor.
 11. — diff. de affectu Iudiciorum in Reffam
 transfoffum, Wittorb 1735.
12. Schlichter s. Christ. Luew / Epistola qua
 de Genes. viii in 21 sententiam
 antiquam tractat, novam conjecturam
 Annouyni Kircheri Vareni et Rambodij
 examinat, deniq; mentem suam exponit 1712.
13. Schmid s. Christiani Ernesti / diff. de
 Lege per perratum informata 1712.
14. Schmid s. Joh. s. diff. quod Religio Can.
 gelica maxime fit utilis et salutaris,
 Lipsia 1726.
15. — diff. de poenitentia in Genero
 Argentor. 1656.
16. Schmid s. Joh. Andri / diff. de Catechesi
 Racovensis Hela 1724.
17. — diff. de oratione dominica Hela
 1723.
18. Schmid s. Sebasti / diff. de coniugio Myster.
 Argentor. 1645.
19. — diff. de unctione Reffia feli,
 Argentor. 1676.
20. — diff. de deponuntione fidelium
 cum christo, Argent. 1679.
21. — diff. de fiducia in Christo
 volunti, Wittorb 1737.
22. — diff. de servituco viventium,
 Argent. 1660.

23. Schrammij Jona Con. 1 diff. De triumpho
Christi victoris, Helmst. 1728.
24. — diff. de auspicioq; Christi
nobi testamenti, Helmst. 1727.
25. — diff. De virtutibus quibusdam lici.
q; ob viciniam illicit; Helmst. 1726
26. Schroeder f. Joh. Jacob f. diff. De Azazelis
Hirco, ejusq; ritibus ac Mysterio
^{Moschusq; 1725.}
27. Schroeder f. Georgij f. diff. De Ecclesia
errorum immuni, Wittemb. 1726.
28. — diff. De principijs Persarum
Gabrielli resistente, Wittemb. 1729.
29. — diff. De Verbo pacis divino
Wittemb 1725.
30. — diff. de gratia Christi veri.
Boniq; Naturalis causa a Quenello
affecta, et a Clemente XI condemnata
Wittemb. 1719.

EXERCITATIO PHILOGICA
DE
S E R P E N T E
SEDVCTORE
NON NATVRALI, SED
SOLO DIABOLO,

AD GENES. III. 1-15.

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. GVILIELMO HENRICO,
DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, AC MONTIVM,
ANGARIAE, WESTPHALIAEQVE,

RELIQVA

INDVLTV SVPERIORVM,

PRAESIDE

M. IOH. REINHARDO RVS,
FACVLT. PHILOSOPH. ADIVNCTO,
IN ACADEMIA SALANA
ERVDITORVM EXAMINI
AD DIEM VII. MAII M DCC XII.

SUBMITTIT

A VCTOR

PHILIPPVS CASIMIRVS SCHLOSSER,
WEILBURGO - NASSOVIVS.



EDITIO QVARTA.

IENÆ, IMPENSIS FRANCISCI BORTOLETTI.

DEO. TRINVNI.

QVI.

NOSTRVM. MISERTVS,
DVM. NVLLA. SPES. FVLSIT,

DEDIT.

GRATIAM.

LAPSIS. ET INDIGNIS.

VICTORIAM.

IMBELLIBVS. ET INERMIBVS.

CVM.

HOSTIS. OMNIVM. FORTISSIMVS,
SERPENS. DIABOLVS.

ET.

HVIC. ADDICTA. COHORS.
DE. HOMINE.

VICTO. CAPTO. VINCTO.

TRIVMPHV M. AGERE. PARARET.

HAS. MEDITATIONES.

SACRAS. ET. IN. EIVS. LAUDEM. SCRIPTAS.

MEO. VERO.

PARENTI.

PLVRIMVM. REVERENDO.

DICATAS. GRATIAS. DEBITAS.

ET.

PROXIMO.

QVICVNQUE. FVERIT.

FRVCTVOSAS.

VOLO. ET. PRECOR.

PHILIPPVS. CASIMIRVS. SCHLOSSER.
AVCTOR.

EDITION D'ARTA

LEADER LIBRARY FRANCISCI BORGIOLETTI

PRAEFATIO.

HAesitabis forte, Lector Beneuole! in dissertationis argumento, quod de *Serpente Seductore* conspectui tuo hic fistimus. Vulgare enim ex parte videri posset, in quod innumerae eruditorum cum antiquorum tum recentiorum commentationes; tot item vnde vulgatae dissertationes prostent, ut cramben non bis, sed saepius coctam adponere dixeris eum, cui plura de his scribendi animus foret. Verum, num vitio vertendum, si circa materias istiusmodi, quas eruditorum complures laudabili modo expedierunt, nostras quoque periclitemur vires, spicilegium post messem veluti instituendo? Aut quid quaeso! mirum, si, dum fructus quotannis succrescunt, peculiaris messis, qua nouagrana veteri frugum cumulo saepius addi solent, instituatur, aut noua denique fercula ex oleore recenti adponantur? Nihil enim dictum ferme vndequam est, cui posthaec nulla superaddi possent, cum dies diem doceat, ac indefessa praeclarorum ingeniorum opera in dies varia subnascantur, quibus veterum sententiae emendantur, partim magis illustrantur. Evidem non probamus nouatirientium quorundam cognatos, qui, omni orthodoxia proscripta & proculata, nefanda quæuis veterum hæresiarcharum somnia exoco quasi reuocant, eisdemque nouam speciem inducere laborant. Sunt tamen alia, de quibus multum nostræ aetati debemus, dum illa haud exiguum ex studio Philologico lucem foenerata est diuersis ac fere innumeris Scripturæ locis δυσνότοις, ac cum laude versatur circa difficultates hinc inde reliquas e medio tollendas. In

quorum classem illud merito referri censeo , quod de
quaestione Philologica : *An serpens seductor naturalis fue-
rit , nec ne ?* ex parte disceptari consuevit , aliis quidem
affirmantibus , aliis eandem negantibus . Nec hi , quan-
tum video , infelici successu vni sunt , vt potius ex hac
ipsa sententia majorem lapsui humano lucem , majus
item Prot - Euangelio pondus accedere , sit in aprico
positum , praesertim , cum rationibus haud contem-
nendis & fictis possit eandem stabiliri . Itaque , cum
haud parum mihi arrideret , ex instituto nonnihil hac
de materia , maxime utri ac jucunda , bono cum Deo
dissenserere animum induxi , ita , vt simul lapsus historiam
pro virili , ex philologia praecipue , phrasiumque
emphasi illustrarem , ea quidem methodo , qua primo
varias de serpente seductore sententias exhibere , secun-
do exhibitas debito modo expendere , ac tertio no-
stram solide corroborare placuit . His enim compre-
hendi posse existimo , quicquid , remotis aliis , quae
difficultates augebant , ad textus explicationem facere
videbatur . Qua denique ratione aliquod meorum pro-
fectuum specimen Tecum , Lector Benebole ! communi-
care , ac me Salanis Musis propediem valedicturum ,
Tuo fauori de meliori commendare volui . Vale ! Da-
bam Ienae e Museo ipsis idibus Mart . M DCC XII .

SER-



בָּשָׁ

SERPENS SEDVCTOR, NON NATURALIS, SED SOLVS DIABOLVS.

Ad

Genes. III. 1-15.

SECTIO I.

VARIAS SENTENTIAS RECENSENS.

§. I.

H

Aud poterit latere quemquam sacrarum literarum lectorem pium atque sedulum, quanta difficultatum varietas circa lapsus Adamitici historiam ab ἐνθεώ Mose *Gen. III.* descriptam, si scilicet paulo penitus eam infexerit, oculos ipsius incurrat. Quod si enim in explanatione eius ea velles incedere via, qua Interpretes pressे sectari solent, talia alicubi deprehenderes

A 3

prae-

praedicata, qualia non permittuntur esse a suo subiecto, de quo ibi agitur; alibi circa textus ipsius οὐαὶ φρεσιν haereres, sensus & conceptuum variam distractionem admittere coactus. Quod si ex aduerso eos censeres paeferendos, qui literae proprietatem inconcinnę magis negligunt, in officium boni Interpretis, crassiori quodam modo, impingeres, idem facturus, ac si haec ipsa, quae Moses recensuit, facta esse negares. Atque isthaec difficultates, sollicitum Scripturae interpretem vtrinque prementes, in causa fuerunt, quare JOHANNES CLERICVS in Comment. ad h. l. malit in re tam obscura ἐπέχειν, in qua tutissima ipsi videatur ingenua ignorantiae confessio, modo summa rei teneatur, icilicet, primos humani generis parentes initium fecisse peccandi; at circumstantias indicare nostrum non esse judicat, sed eorum qui rei interfuerunt, si reuiuiscerent. Quanquam vero non sit de nihil, quod B GEBHARD. THEOD. MEIER Hist. Religion. p. 56. fatetur, Insuperabiles hanc historiam difficultates habere: ita tamen comparatas esse credo, vt adhibita diligentia opera, medisque hermeneuticis rite applicatis, alio, quam dixi, modo, si non omnes, maximam tamen partem possint felicius superari. Minime vero tantas arbitror, vt ob eas vagum argumentum, quod vim probandi haberet, ex hac ipsa historia diduci non queat, quoisque quidem famosus ille BAL- THASAR BEKKERVIS in der bezauerten Welt, L. II. Cap. XX, fuit progressus, qua de causa hic ipse Celeberr. D. ZACHAR. GRAPIO Disp. de Tentatione Euae & Christi Secl. IV. tot. ex instituto vapulat. Caeterum, difficultates istae tanti apud interpretes diffensus causa fuerunt, diuersam enim antiquitas non modo hujus historiae explicandae rationem inuerunt illi, alii quidem, vt sine fuso in veritatem inquirent, alii, vt suis erroribus, quos fouebant, aliquam conciliarent speciem, quia, juxta tritum illud, error errore opus habebat, ne perplueret: sed & recenti aetate nouas & diuersas multi sunt meditati methodos, quibus magis cohaerentem & explicatam fisterent hanc historiam, in qua non

vnam adhuc difficultatem superesse animaduertebant. Vnde de operaे pretium fuerit, varias illas, aut praecipuas saltem, cum antiquorum, tum recentiorum sententias recensere ac inter se conferre, vt deinceps B. L. sobrium de nostra ferre possit judicium, num commodiorem paret viam, istas difficultates elabendi.

S. II. Primo quidem longissime a scopo recedunt omnes, quotquot allegorice haec omnia, quibus peccatum in orbem introductum enarrat Moses, haud secus ac ipsum serpentem, accipienda esse autumant, quorum diuersa tamen classis constitui potest, prout scilicet cuiusvis in adserendis allegoriis nimia, quandoque etiam impia, libertas erat. (α) PHILO in Libro περὶ κοσμούσας se Mundi opificio f. 46. C. edit. Francof. An. 1691. per serpentem in genere quasuis voluptates nos inescantes, & in pericula conjicentes, intelligit, namque ἐφεντει τὸν ιδόντος συμβολὸν recte, inquit, *conjici posse*. Quo cum plures Rabbinorum, etiam recentiorum, faciunt, quos B. PFEIFFERVS in dub. *Vexat.* aliique producunt. PFEIFFERVS quidem, ORIGENEM Philoni, ejusque sodalibus adsociat, qui, prout solebat in aliis, praeferentem etiam locum allegorice acceperit, de quo vero Celeberr. GRAPIVS dubitat disp. cit. *Sect. I. §. III. & V.* Huic tamen aduersari videtur HVETIVS in *Origenians I. II. Q. 12. Num. 7. teste TAPPENIO Disp. Inaugural. Helmstad.* 1703. *De semine mulieris caput serpentis contrituro. §. XIII. p. 11. 12.* (β) Nequitia tamen & spurcitie major vix Orbi visus est quam HADRIANVS BEVERLANDVS, Seelandus J. V. L. Aduocatus & qui eum praecesserat, ejusdem farinae homo CORNELIVS AGRIPPA. Ille enim in libro aequo detestando & spurco de Peccato Originis κατ' ἔξοχον ita dico, per serpentem in specie membrum, quo viri fumus, a Satana excitatum intelligi voluit, vti prorsus eadem circa arborem scientiae boni & mali evomuit, adeo vt propterea ad carcerem, vincula & exilium condemnatus fuerit. Palinodiam tamen in Anglia cecinisse referit B. TENTZELIVS Auctor *Mensr. Colloq.*

Germ.

Germ. anno 1698. 846. postquam scilicet a D. LEONARDO RYSENIO in *Justa detest. Scelestiss. libel. Beuer I. ad D. Thadaeum Lantmannum V. D. M. Hagiensem anno 1680.* dat. erroris sui coniunctus poenitentiae signa dedisset, Dirisque deuois- set eum, qui negligat Manuscripta sua vel Vulcano tradere, vel ad Auctorem remittere. Justo tamen iudicio DEI nunc mente captum esse, docuit nuper Cl. Autor *Observationum Miscellanearum*, quae Lipsiae prodeunt, Part. II, p. 114. Nuga- tur etiam ZENNORENNIA ad h. l. fol 4. c. 4. ex R. Salomone Jarchio ad *Genes. III.* ac si serpens illico in Euam amore co- gitauerit, esu pomi Adamum e medio tollere, vt sibi pos- tea hanc conjugem sociare posset; qui hac ratione non a- liter potest, quam allegorice textum exponere, quae tamen nulla meditatione, & peculiari, ad minimum prolixa refuta- tione, digna censemus. (γ) ad horum numerum haud imme- rito etiam refertur THOMAS BVRNETVS Anglus, qui in *Archaeologia Philosophica* totam historiam Mosaicam de prima creatione, de Hexaëmero, de Adamo, Eua, Paradiſo & denique etiam, quod huc spectat, de serpente Tentatore non intelligendum esse in sensu literali, historico & proprio as- feruit; sed describi omnia a Moſe λαοδογματινῶς, seu mo- do parabolico & crasso, & ex sensu plebejo, pro captu & ingenio Judaeorum, notante SPANHEMIO in *Elencho Controvers. Tom. III. Opp. Part. II. Col. 1007.* Proutvero ex institu- to vapulat Burneti illa sententia Anonymo cuidam, in libro anno 1694. Amstelod. publicato, quem vocat: *Moses Vindi- catus*, de quo vid. *Acta Erudit. Lipsiens. 1695. p. 20. seqq* ita bre- uius jam nominatus SPANHEMIVS l.c. Col. 1008. illam exa- minauit.

§. III. Secunda sententia illorum est, qui cum FLA- VIO JOSEPHO L. I. *Antiq. Jud. Cap. II.* circa finem, ac Ju- daeis & Socinianis fere omnibus, serpentem mere natura- lem, non sine aliqua rationis specie, vt infra Sect. II. pa- tebit, per totam hanc historiam intelligi volunt. Quan- quam & hic in diuersa abeant, naturam serpentis modum- que seductionis descripturi. Quidam enim (α) ex ipsis Chri-

Christianis cum Josepho serpentem illum naturalem sermone affectibusque humanis praeditum, atque inde callidorem, & tantum non homini aequalem, primum fuisse fingunt, pedibus etiam erectum, aequa ac caetera animalia, incessisse credunt, quibus post lapsum DEVS eundem priuarit. Ita v.g. SCHINDLERVS in *lexico p. 1107.* ad vocem **serpens**, inquit, *loqui poterat & erectus incedebat, DEVS ei vocem & pedes ademit.* Noua quidem ratione (β) expedire sese conatur R. JSAAC ABARBANEL in *Comment. ad b. I.* cum haec sodalium sententia haud eidem arrideat; Scilicet serpentem mere naturalem fuisse non quidem negat, negat tamen sermone ad decipiendam Euam fuisse vium: quin potius docet, cum exemplo suo, atque crebriori in arbore scientiae ascensi & descensi, fructuum item de hac arbore esu innoxio, ad diuinis interdictis transgressionem Euam allexisse, vt ex hac ipsa actione intra animum racionata fuerit, se minime morte morituram, sed Deo prorsus similem futurani &c. Id quod nimium quantum placuit Viro Doctissimo SIMEON de MVIS Profes. Parisiensi in *Variis sacris p. 187.* adeo, vt in Abarbenelis figuramentum sua adprobatione fere fuerit abreptus, aut, cum se haud eidem adstipulari dicat, pro acutissimo interpretamento habuerit.

§. IV. Tertia circa praesentem materiam sententia apud antiquum illud haereticorum genus locum habuit, quod *Ophitus vel Ophianos* a serpentum cultu vocare solebant, quem tamen varie a variis describi notat GOTTFRIED ARNOLDI *Kirchen und Rezer-Historie. Tom. I. Lib. II.* C. IV. §. XV. Vbi tradit, alios credere, quod colubrum hunc quondam in *Paradiso* deceptorem maioris aestimarint, quam Christum ipsum, eo quod ille omnis scientiae auctor hominibus extiterit: vti TERTVLLIANVS Pater sec. II. quo floruisse eos constat, Lib. de *Praescript. Haeret.* & PHILASTRIVS sec. IV. Brixienensis in Italia Episcopus Libr. de *Haeribus haeres.* I. commemorant. Alios e contrario velle, quod,

B

ipsum

ipsum Christum fuisse, crediderint, atque hinc serpentem aliquem naturalem, siue in spelunca, siue in capsula aliqua, nutritum coluerint, quem certis temporibus, Sacerdotes incantamentis suis euocatum, altari imposuerint, quo majorem sanctitatem sacrificia hominum contraherent, qualia de ipsis testantur EPIPHANIUS haeres. 37. AVGUSTINVS haeres. 17. & ali. Scilicet haud conspirasse videntur isti haeretici ob fabularum & mendaciorum multitudinem, vt conciliatio horum scriptorum sit facilis. *Sunt enim*, inquit THEODORETUS Haeretic. Fabul. L I Cap XIV. *existit, qui dicit Christum, in serpentis speciem transformatum, Virginis uterum subiisse, ubi abutuntur verbis Pauli Philipp. II. v. 6. 7.* & hi cum posterioribus conueniunt, cum quibus & Manichaeos fecisse testatur AVGVS PINVS libro de Fide contra M ichaeos. *Quidam, pergit ille, serpentem ipsum dicunt consuetudinem habere cum sapientia, & tanquam cum Adversario cum Deo creatore bellantem, Adam decepisse, & cognitionem (quam scilicet Deus homini inuidiebat) dedisse, ideoque omnium prudentissimum dictum esse serpentem, & flexuosam intestinorum nostrorum positionem serpentis corpus imitari, genitalem serpentis sapientiam ostendentem, & hi sunt priores isti quos intelligit TERTULLIANVS &c. Vnde minas accurate Ophitrum haeresin notasse videtur B. PASCHIUS Disp. de Se ductore serpente Cap. I. Theoremat. IV. quia nec Marcionitae soli serpentem Christo praestantium, nec soli Manichaei ipsum Christum fuisse dicunt, vt illos aequa ac hos Ophitis contradistinguit in Theoremate ipso ejusque diductio ne. Tradit & EPIPHANIUS quadruplicem horum differ sum l. c. §. VI. ex quo has eadem cum illis docuisse videri possit. In eo tamen Anteiores citati discrepant, vnde hic cultus, penes jam dictos Ophitas visitatus, sit deriuandus, & quae prima ejusdem sit origo. AVGUSTINVS & EPIPHANIUS a Nicolaitis seu Gnosticis ad Ophitas deductum esse dicunt; Alii ex AEgyptiorum Theologia & moribus sua petuisse credunt, apud quos Ibes, Crocodili, serpentes, culti.*

Qui-

Quibus adstipulatur SPANHEMIUS *Hist. Ecclef.* Tom. I. Opp. Col. 642. & LAMBERT. DANAEVS in *Notis ad Augustin.* qui hinc ob idolatriae apud Aegyptios visitatae similitudinem, in Aegypto eos collocat. vid. TAPPENIVS *Disp. cit.* p. 8. §. IX. Inter antiquissima tamen idolatriae genera & hoc referendum esse conjicio, quia apud gentiles jam tum serpentes in caduceo Mercurii impliciti fingebantur. Nam prout notat Hispanus ille Doctiss. D. LAVRENTIVS RAMIREZ de PRADO in Περὶ τῶν τρέχων Cap. I. p. 32. *Mercurius dicebatur Interpres diuum, & Graece vocatur ἐργάσιος, Interpres, summus Orator, cuius munus, ut testantur Cicero & Quinctilianus, præcipuum est, insinuatio, quae ad conciliationem valet & animis auditorum surripit.*

§. V. A reliquis diuersam atque peculiarem tradunt CAJETANVS in *Comment. in Gen.* super h. l. BALTHASAR, item BEKKER in *Tract. de begauberte Welt* L. II. Cap. XX. tot. quorum hic ab illo parum differt, nisi quod Cajetanus in modo determinando sit audacior, Bekkerus vero ob tot historiae difficultates (ex quibus neminem se extricare posse, falso sibi persuadet §. VII.) modum seductionis distinxius exprimere, religioni ducat. De hoc tamen inter eos conuenit, quod plane nullum serpentem externum, nec vere, nec specientem talem, adfuisse credant, Diabolum vero, omnis mali seductionisque hujus Auctorem, in Scriptura S. metaphorice serpentem nuncupari doceant; qui, ex CAJETANI sententia, non externa & sensibili voce, sed tantum interna suggestione Euam tentasse dicatur. Atque id ipsum est, quod BEKKERVIS determinare non audet. Namque §. XXVII. ait: *Gewiß ist der Fall des Menschen von dem Teuffel, aber ungewiß, wie der Teuffel ihn zuwege gebracht.* Ad captum enim & statum vulgi Mosen, allegoria a serpente defumta, descriptionem seductionis expressissime, incertum, quo consilio, quo fine & quo sensu. Vndiquaque tamen Bekkerus, cum hunc suum scutum in lucem protrusisset, telis petebatur, cum a suis ipsius conterraneis, quos GRAPIVS *Disp. cit.* §. XI. *Sect. I.* magno numero adseret; tum ab aliis extraneis

argumentis solidis refutatus. Cumque ex Nostratis B. JOHANNES WINKLERVS, Theologus quondam Ham-burgensis, anno 1694. concionem admodum egregiam Dominica Inuocauit Hamburgi D. Michaël. contra Bekkeri nugas, quoad praefens negotium, habitam typis publicasset; paulo post illius hyperaspistes, homo aliquis Belga, factus est, qui nomine ZACHARIAS WEBBER Z. F. Mitglied von S. Michael, contra B. WINCKLERI argumenta, inani prorsus successu, aliqua meditatus est: In der bescheidenen und gründlichen Antwort auff Joh. Wincklers Predigt von der Versuchung Christi und unserer ersten Eltern durch den Teuffel. Amstelod. 1695. Quem laudatus modo Dn. D. GRAPIVS Disp. cit. vna cum Antesignano suo sub examen vocauit.

§. IV. Ad communiores caetero quin sententiam, de qua §. seq. proxime quidem accedit SAMVEL BOCHAR-TVS in *Operibus suis* anno 1692. iunctim editis, Col. 839. seq. Vbi ex professo hanc materiam pluribus pertractavit. In eo tamen diuersus a Communi, quod inter serpentem naturalem, & Diabolum, vniōnēm παρεστάννη intercessisse, haud admittere videatur: sed potius defendat, aliquid in illo serpente infusum fuisse & supernaturale, extraneaque virtute eundem ad loquendum impulsu. Idque nec hominis facultate, nec Dei operatione absque sanctitatis ejus lassione; sed solius mali spiritus impulsu & directione. *Quemadmodum enim*, inquit, *Balaami aſna nequaquam ex sua ipſius, sed ex boni alicuius angeli viriute, fundebat voces: Pari prorsus modo* serpentis linguam *Satanas sic flexit, ut ea protulerit verba, quae hic memorantur;* Idque a Satanae praxi non esse alienum, quod ejuscemodi instrumentis aliquando loquatur. Ethnorum enim historias talibus exemplis esse refertas: quorum aliquod ex CYRILLO, ad quem prouocat, §. VIII, seq. allata videbis.

§. VII. Ad sententiam porro sextam deuoluimus, quae communis fere omnium Christianorum est, Satanam Serpentemque naturalem conjungentium, ut hunc ἐργάζεται
voy

atque ab illo obsessum fuisse credant. Quam a B. PFEIFFERO in *Dub. Vexat.* THILONE in *Medulla Theol.* V. T. Celeberr. GRAPIO l. c. & nullis fere non propugnatam comprehendes. Ejus tamen quintuplicem faciem Doctissimus TAPPENIVS in Disp. Inaugural. cit. §. XVII. p. 15. erudit nobis exhibet, qua interpres circa applicationem versus 14. & 15. mire inter se dissentiant. Cuius rei sumمام, nec non controversiae historiam succinctam huc transferre lubet. Scilicet (α) CALVINVS in *Comment. ad b. l.* Vtriusque versus verba duplicem habere respectum docuit: alterum, quo omnia serpenti naturali literaliter, alterum, quo omnia Diabolo anagogice & figurate tribuebat. Quare eum perstrinxit B. AEGIDIUS HVNNIVS, in *Caluino Judaizante:* Caluini vero gloriam vindicandam summis PARÆVS, cui mox respondit HVNNIVS in *Anti-Parao.* Cumque ille in *Comment. in Genes.* post fata Hunnii, priora de nouo adferret; hunc defendendum suscepit HELVICVS in *Prot-Evangelio.* Cumque RIVETVS etiam acerbius Hunnum depexum dedit, quasi Caluini sententiam peruerterit; ei se oppo- suit SEB. SCHMIDIVS in *Coll. Bibl. priori* p. 146. seq. Vnum vel alterum adhuc, qui Caluino adstipuletur, vide in Pfeifferi *Dub. Vexat.* p. 26. Inter quos & GROTIUS est ad h. l. & recenti aetate JOHANNES CLERICVS in *Comment. ad h. l.* Quem vero noster Summe Reuerendus Dn. D. FOERTSCHIVS pecul. *programmate in fest. Natiuit. Christi* an. 1708. pro more suo, solide confutavit. (β) Succedunt ii, qui vtrumque versiculum 14. & 15. vtrique, tam serpenti, quam Diabolo afflenti, literaliter applicant. Quod EPHREM SYRVS, CORNELIUS a LAPIDE aliquie fecisse dicuntur Pfeiffero loc. cit. (γ) Tertiam faciem sifit PFEIFFERVS ipse, cum Nostris plurimis versus hos diuellens, atque versum 14. de solo serpente naturali, versum vero 15. de solo Diabolo unice exponens. (δ) Peculiarem post hanc tradit memoratus HVNNIVS: qui versum 14. Daemoni, simul tamen etiam Organo serpentū naturali, applicat; & versum 15. de solo

Daemone loqui contendit. Hinc (ε) SEB. SCHMIDIVS, cum renunciasset B. Hunnii expositioni, quam antehac amplexus erat, sententias varias jam recensitas multis adhuc premi difficultatibus facile vidisset, alia ratione expedire fese laborauit in Colleg. Bibl. p. 149. Vtrunque scilicet versiculum & 14. & 15. de solo Diabolo expoinere maluit, quam quoad sensum diuellere versus, aut duplicitem eorum respectum admittere. Quare omnem prorsus serpentem naturalem ab hoc maledictionis fulmine exclusit. (ξ) Postremam denique faciem in hoc diuortii genere constituit jam ipse laudatus D. TAPPENIVS Disp. §. XIX. p. 19. cuius sententiae summa, tribus propositionibus inclusa, haec est: I. Serpens, quem Deus alloquitur v. 14. & 15. non est nudus serpens naturalis, excluso daemo-
ni; sed hic praeccipue per illum indigitatur. II. Serpens, quem Deus alloquitur v. 14. non est nudus Satan; sed sensu solam primario & adaequato: sensu vero secundario & inadaequato etiam serpens natu-
ralis. III. Serpens, quem Deus alloquitur v. 15. juxta sensum prin-
cipalem & adaequatum sine dubio est Satan: non vero improbabile
est, etiam hoc ipso versiculo, suo quodam modo ipsum serpentem na-
turalem aequo ac priori v. 14. connotari.

§. VIII. Septima tandem sententia, & quae agmen claudet, paucorum est, serpentemque Diabolicum larua serpentis naturalis siue specie ementita induitum sifit. Cu-
jus ex antiquioribus CYRILLVM ALEXANDRINVM Tom.
III. Libr. III. aduersus Julianum, fautorem fuisse plerique Do-
ctorum tradunt; ad quos & Beatus PFEIFFERVS spectat. Dubitant tamen alii Viri doctissimi merito de illo: vtI RIVINVS dissert. de Serpente Antiquo Seductore Cap. I. §. 2. ab hac eundem liberat. Quod & Celeberr. D. MAJVS adprobat in Dissertationibus sacris Loc. V. C. I. §. XXIII. p. 346. Et recentissime TAPPENIVS Disp. cit. §. XI. pag. 9. qui ex ipsius Cyrilli verbis mentem contrariam declarat: quibus affirnet, Diabolum serpente tanquam umbraculo fraudis suae abusum esse, & in ejus ore vocem efformasse; ne quaquam vero sub spe-
cto aut larua serpentis seductionem Evae absoluisse. Haec enim

enim porro Cyrillo consueta aduersus Julianum, Moses historiam de Serpente in Paradiso irridentem, sicut argumentatio, ut similia exempla sive vera, sive facta, ex Poëtarum scriptis Gentiliumque traditionibus eidem opposuerit: Achillis equam, cui Juno, juxta Homerum, vocem indiderit; Dodonaean quercum, quam humana voce locutam Gentiles tradant &c. quibus possibilitatem sermonis a Spiritu per serpente facili stabilire nitebatur. Sunt vero alii, qui huic sententiae subsciperunt, etiam ex recentissimis. Fuit eidem additus ALCIMVS AVITVS Libr. H. Poëmat.

v. 121. quando canit:

*Forte sicut cunctis animantibus altior astu,
AEmulus arguto callet qui peccore serpens,
Hujus transgressor de cunctis sumere formam
Eligit, aereum circumdas tegmine corpus.*

Qui tamen in eo non facit cum hujus sententiae fautoribus, dum nihilominus serpenti poenam tribuit, eo quod repat, quando subneicit:

Inque repentinum mutatus tenditur anguem.

Caeterum hoc spectat EVGVBINVS in *Cosmopoeia* f. 71. Item MOSES AMYRALDVS in *Concione Dissert. Salmurii* an. 1660. edit. p. 314. quem quidem BOCHARDVS refutat in *Operibus suis* col. 844. seqq. Sed facile diluentur ea ex nostra tractatione: Licet verum sit, Moses Amyraldi argumenta non sufficere ad probandam sententiam valde alias probabilem. Hunc paucis abhinc annis securus est CAMPÉGIVS VITRINGA in *Avantice Apocalypses Johannis ad Cap. XII 9. p. 726.* Praecipue tamen & prae aliis nominandus erat B M SINGMVNDVS HOSMANNVS, pastor Cellensis, in *Notis ad Lightfooti observationes in Genesim.* Qui ex instituto hanc materiam erudite ad modum pertractauit, facemque reliquis, post eum haec aggressis praetulit; Idem enim postea defendit Lipsiae an. 1708. Dn. M. ORTILOBIVS in *Schediasm. bipartito.* cuius altera

altera pars agit de Serpente non punito cum Satana Seçt. I. tot. Ex parte vero praeiuerunt his, &c. quod caput causae est, (vti Sectione III. patebit,) versum 14. Cap. Gen. III. non de serpente naturali, sed solo diabolo acceperunt, ex nostratis B. SEB. SCHMIDI VS in *Colleg. Bibl. part. I. p. c. Dn. D. MAJVS in dissertationibus Sacris Loc. VII. Orac. II. C. I. §. VI. p. 477.* & post eum B. JOHANNES WINKLER VS in *Concione supra laudata aduersus Bekkerum de Tentatione Christi ad Matth. 4.* Ex Reformatis JACOBVS GOVSSETIVS in *Ternionc aduersus Judacos p. 4. seqq.* WITSIVS *Oecon. Foed. Lib. IV. Cap. I. §. III. p. 554.* Solet etiam ab aliis, inter quos Celeberr. MAJVS *Dissert. Sacr. p. 346.* JOSEPHVS MEDVS huc referri: eo quod & hic sithuic sententiae addictus. De quo tamen fere dubito. In *Anglicanis* enim *dissertationibus* vnum serpentum genus, idque longe nobilissimum, quod & pulchritudine & sagacitate non serpentes solum alios, sed & animalia reliqua superarit, intelligit: quod grauem post lapsum poenam dererit, pedibus, quibus a parte superiore corporis, ut basilisci solent, erectum incesserit, priuatum. Vnde de emendanda LVTHERI versione laborat; atque verba reddi mauult: *super pectus tuum, quam super ventrem tuum &c.* Licet tandem etiam geminum verborum sensum admittat, mysticum scilicet & anagogicum. De quibus videri potest B. CALOVIVS in *Bibl. Illustr. ad Gen. III. 14. f. 242.* Caeterum, sententiae jam modo recensitae, causis & rationibus nec vnis, nec lenibus motus, ego quoque subscribo. Ut vero de rei veritate eo clarius constet, & quid de quaquis alia praeter hanc habendum sit quantumque valeat; in sequentibus, quæ Sectionem secundam conficient, nunc bono cum DEO dispiciemus.

SECTIO

SECTIO II.

SENTENTIAS RECENSITAS EXPENDENS.

§. I.

Eodem quidem ordine, quo sententias varias Sectione præcedente exhibuimus, nunc etiam in examinandis iisdem vtemur porro. *Prima* itaque eorum erat, qui negleto sensu literali, omnia allegorice exponebant. Verum, si ulla, certe hæc explicandi ratio, variis incommodis, quae inde sequuntur, est periculosisima. Nullum enim, si haec concederetur allegorisandilibertas, pro defendendis dogmatibus, tot item explodendis erroribus, superesset argumentum: nullum pro consolandis miseris efficax solamen; Quia, quicquid Scriptura Sacra habet expressissimum, facile poterit negari: vt in ejus locum phantasma, & inania figmenta quæuis, in cerebro tanquam a lembico excocta & expressa, surrogentur. Atque sic amplissima ad libertinismum sterneretur via: & arenoso nostra salus superstrueretur fundamento. Quae enim in specie PHILONI Judæo placent allegoriae, eaedem vel eo nomine non consistunt, (α) quia supponunt falsum hoc ac si illæ voluptates animæ, quæ ipsi serpens sunt, intra cor humanum ante lapsum habuerint locum: vt homo internis suis illusionibus tentari, falli & seduci potuerit, eo ipso tempore, quo integer & innocens adhuc erat. Vnde vero habuisset primus homo hanc affectuum suorum pugnam? certe non a creatore; a quo in sanctitate & justitia plena ad imaginem ipsius DEI creatoris erat conditus. Et quam diu hac imagine illustris incesit, tam diu voluptates animæ inordinatae intra hominem concipi non possunt: vnum enim alterum tanquam contrarium expellit. Ergo ab alio aliquo extrinsecus operante tentatore res facta sit oportet: qui est serpens Diabolus. Quando enim hic falso laces

laces quasdam species hominum oculis sifit, & fieri solet,
 vt iisdem intellectum moueat, aut prauas cupiditates ex-
 citet in appetitu, quibus voluntatem seducat: tunc dicitur
 ille hominem tentasse interius. (β) Expressa serpentis in
 textu mentio cerebrinas PHILONIS allegorias non admit-
 tit. Serpentis enim fit mentio, cui variae actiones tribu-
 untur, quae suppositorum sunt, imo tales, quae cum ra-
 tione & magna astutia erant conjuncte, vt omni jure per-
 sonae alicujus intelligentis actiones videri possint. Lo-
 qui enim potuit, & quidem ita loqui, vt verborum empha-
 sis & astutia Euam in consensum abripuerit. Denique ob-
 facinus commissum grauis ei fuit denunciata poena. Quae
 omnia ita se habent, vt de voluptatibus hominis internis
 quibusuis praedicari non possint. Loqui enim eadem
 non dicuntur: nec poenam luere, vt repeat super ven-
 trem, commedantque puluerem. Ad minimum non video,
 quomodo haec ipsa in της ἴδοντι σύμβολα conuertere velit;
 nisi verborum lusu, qui fundamentum nec in re ipsa, nec in
 Scriptura S. habet. vid. BOCHARTVS in *Operibus* Col. 836.
 Eadem fere, quae huic, obscoeno etiam BEVERLANDO
 opponi poterunt. Cujus tamen sententia vel tribus ver-
 bis conuelli debet in specie. Primo quidem opponimus
 significationem vocis ψῆψις perpetuam: quae nuspian, ni-
 si in putido Beuerlandi cerebro, membrum virile designa-
 uit: sed semper anguem cujuscunque generis: siue vere,
 siue specietenus talis fuerit. (β) Hac ratione Eua commer-
 cium habuisset cum istiusmodi membro, antequam mari-
 tus Adamus adfuisset. Namque juxta Auctorem hunc τὸ
 comedere de arbore scientiae, idem dicit, ac cum alio aliquo
 confuescere. Atqui juxta versum 6. Eua prius absente
 adhuc, vt textus videtur arguere, Adamo, commedebat
 de arboris fructu, & sic prius etiam rem habuisset cum a-
 lio, qualis praeter Adamum nullus tamen erat. Cum enim
 comedisset, Adamo demum dicitur dedisse fructum, qui post-
 haec comedenter. Vrgent quoque alii, τὸ edere in sacris literis
 nuspian esse coire. Sed obstat his videtur Proverb. XXX. 20.
 Nil

Nil quicquam tamen juuat Beuerlandum, tota enim historia huic expositioni reclamat: atque commestionem proprie dictum inculcat. Id quod huic respondisse sufficiat, ne haereamus in iis, quae quavis palea leuiora vel habitu leuisimo possunt diffari vna cum ZENNORENNAE somniis. Cum praesertim istiusmodi hominum genus magna auditorum caterua acerbo sale pro merito dudum perfriuerit. Quod vero ad THOMAE BVRNETI sententiam attinet: ea, subuersa hypothesi, cui nititur, consistere amplius non potest. Est vero illa, a Mose descriptam esse hanc tellurem, non qualis primigenia fuit, vel ut ex *chao* suo sensim ac lento progressu post varias ac successivas mutationes tandem emersit, sed ea forma, quam post diluuium accepit. Vbi oblique Solis & Lunae viae, tempes statum vicisitudines, eminentiae montium, Vallium hiatus &c. facta sint. Quae tamen, cum ab aliis pluriinis sint profigata; diu hic nos morari non permittunt. Vel sola enim loca *Gen. VII. 20.* *Proverb. VIII. 24.* *Hiob. XXXVIII. 4. 5. 6.* hujus hypotheseos falsitatem solide testantur. Vid. Celeberr. MAJVS in *Oeconomia Temporum V. T. p. 52 - 55.* Ut ita pateat, vanum esse & inane, Mosis historiam non nisi allegorice exponere, atque haec necessitatem eam (α) non parere, quam venditat BVRNETVS, cur a proprietate literae recesserit: praesertim (β) cum miracula & opera diuiniae omnipotentiae in dubium vocare, valde iniquum sit; eo quod incongrua, absurda, humanaeque rationi aduersa videantur. (γ) Non est eadem ratio narrationis Historicae, & parabolicarum locutionum in stylo Prophetico, aut in concionibus Christi ad Judaeos sui temporis habitis. Has enim Christus auditoribus suis saepius declarare solebat: historice vero aliquid narrare, requirit rei descriptionem clariorem, prouti, ad minimum externe, facta est, verbisque propriis depictam. Et talis est in primis Geneleos capitibus stylus, ut nec aliter illa accepta, exposita, vberius que confirmata fuerint a viris *Geonvvsios*, quotquot post

Mosen hac de materia scripserunt. (d) Annon Moses Israe-litis totique posteritati reipsa illusisset? siquidem aliter intelligenda esent verba Geneseos, quam per tot annorum centurias intellexit, aut adhibitis rite mediis Hermeneuticis intelligere potuit genus humanum. Sic se felissem vtique Scriptura Sacra, & citra dubium Christus & Apostoli meliora nos docuissent; si male ea fuissent a nobis intellecta. De quibus vid. SPANHEMIVM in *Elencho Controversiarum Tom. III. Opp. Part. II. p. 1007. seq.*

§. II. Ad eam quod attinet sententiam, qua serpentem mere naturalem, membrisque & donis soli homini nunc propriis insignem, tradunt: eam non sine ratione a Iudeis & Socinianis defendi supra diximus. Quia, si Satanam lapsus causam esse dixerint, major Peccati Originalis, quod tantopere alias eleuant, appareret sceditas. Hac igitur ratione de Christo Prot-Euangelium explicare necesse est habebunt: quem alias verum Dei filium, Diaboli & inferni victorem, hominumque redemptorem, qui sanguine suo fuso eosdem eripuerit, esse negant. Verisimile vero (α) haud est serpentem naturalem, qua talem, ad neglectum diuini mandati protoplastos pellexisse; quorum dominio, quod certe magnum erat, ipsis etiam fatentibus, obnoxius ille erat. (β) fidem non meretur, animal brutum per naturam articulate, citra assuefactionem, loqui potuisse. Quod enim graculi, picae, psittaci loqui dicantur: id minus proprie fieri solet. Non enim cum ratione loquuntur, & paucas saltem edunt voces: easque tum demum, quando assuefeceris; & nihilominus minus distinetē easdem exprimunt. Nec (γ) monente BOCHARTO Col. 839. Opp. quaevis animalia loquelae formandæ apta sunt: sed saltem ea, quorum lingua est crassa, duriuscula & spissa. Serpentis autem mollis est & tenuis: præterea ad extremitatem in duo aut tria filamenta sic divisa, ut ad nihil aliud, quam ad fibulum comparata videatur. Vnde haud inepte dictum quondam fuit ab ARISTOTELE de partib. animal. l. II. c. XVII. E. T. II. Opp. f. 510. edit. Paris 1654. serpentis linguam esse ἄχενσον
προς

πρὸς τὴν τῆς Φωνῆς ἐγγενέσιον, h. e. inutilem ad vocis officium.
 Ergo multo minus (δ) ita loqui potuit serpens, ut cum
 maxima astutia tam accurate quæstionem formaret; eaque
 ipsa dubitationem aliquam cordibus instillaret, & contra-
 riā denique conclusionem eliceret. Hoc certe multis ho-
 minibus, ratione licet gaudeant, non est datum; vt tan-
 tum pondus illorum argumenta habeant, quibus alteri per-
 suadere quidpiam conantur. Huic itaque bruto serpenti
 tanta ratiocinandi facultas non competit, qui (ε) inter
 animalia, quae extra hominem Petro & Judæ ἀλογα &
 ἄφωνα dicuntur, merito etiam refertur. (ζ) Job. VIII. 44.
 Satanás vocatur pater mendacii & homicida ab initio. Ita
 vero serpens paradisiacus homicida ab initio dicendus po-
 tius esset. Quod Socinianis præcipue obesse videtur. Deni-
 que (η) vel adhuc post lapsum ille serpens loquela, pe-
 des, affectus &c. haberet; vel DEUS post sextiduum, quo
 perfecerat omnia Gen. II. 1. novam naturam & essentiam hujus
 animalis creasset: Atqui illud nemo afferet: & posterius,
 praesertim quoad loquela, non poterit vila ratione proba-
 ri; nisi quod, quoad pedes, aliquam in versu 14. proban-
 di speciem positam esse credant. Quae tamen nulla est,
 vt suo loco videbimus. Ergo non fuit solus naturalis ser-
 pens, sed alia aliqua creatura rationalis, quae nec homo,
 nec Deus, nec angelus bonus; sed solus Diabolus fuerit,
 necessum est. Nec enim adeo firma sunt, quae nobis oppo-
 nunt illi autores. Scilicet dicunt (ι) perinde ita fuisse Sata-
 nae, aliud quodecumque animal, siue astutum, siue stupidum,
 adhibuisset, nec præcise serpentem electurum fuisse. Resp.
 Dei permissione factum est, ut Satanás præcise serpente, vel
 quod mallem, serpentis larua induitus tentaret Euām. Quia
 forte alio aliquo animali, certas ob causas, vt non licuit:
 vel, si licuisset, aliasque extra serpentem animalis ope ten-
 tasset Euām, quæstio semper mansisset: Cur hoc & non
 alio? cur hujus & non illius larua esset vsus? vno tamen
 opus erat, quod esset velamen fraudis. Veditque citra du-

bium Satanas, rei, quam intendebat, perficiendae aptissimum esse serpentem, & dignum, cuius larua uteretur. Unde & illud ruit, quod (2.) opponunt, serpentem adeo iratum non habiturum fuisse DEum. Cum enim euictum sit haec tenus, serpentem solum non fuisse seductorem, sed diabolum: ergo nec in illum solum vibrata est maledictio. Imo in diabolum solum omnem redundare poenam credimus: cui cum vero & naturali serpente commercium nullum fuit, vt infra docebitur. Et quia hic poenam luere debebat, hinc etiam (3.) DEus in determinatione poenae eum alloquitur sub serpentis nomine, dum externae parentibus nostris serpens esse visus est. R. ABARBANELIS figmentum, quod SIMEON de MVIS tantopere collaudat, nullam apud nos laudem meretur. Sibi enim (α) dicta putet, quae ipse aliis inculcat, quando ille ad *Maimonidis* conjecturam super hac historia reponit: *Significauit Tibi jam tum, non licere ullam historiam hic insificari, quam sensus literalis Scriptura S. comprobat.* Ecce hic ergo rem in mera cogitatione consistentem sibi concipit, & negat, verba, prout jacent, accipienda esse? (β) Quantam vim textui inferat, quilibet, si vel obiter inspiciat, abunde deprehendet. Quomodo enim (γ) suo exemplo, si alloquio factum non est, Euae persuadere potuerit, eam ex esu fructus vetti fore sicut Elohim; nemo facile assequitur. Nec quicquam juuat Abarbaneli cumulus ille locorum, quae pro remouendis obstaculis in medium affert. Scilicet $\tau\circ$ dicere h. l. idem esse, quod *Job.XII. 7. 8.* legitur: *Interroga pecus, quod docebit; \mathfrak{E} aues coeli, quae tibi dicent \mathfrak{E} c.* Item, *Job.XXVIII. 14. \mathfrak{E} 22. Ps. CXLVIII. 7.* quae etiam R. LIPMANN cum Abarbaneli vrget, quod sicuti coeli loqui dicantur, quibus loquela non competit: ita & cum serpente res sese habeat. Cum hoc non nisi objectiue, seu vt alii malunt, effectiue, figurate, & per profopopoeiam fiat: quia sua pulchritudine testantur nobis, se originem a DEO creatore habere. Id quod verbis exprimere non possunt; sunt enim res sensu & vita destituta.

tag.

tae. In praesenti vero historia, vbi, non vt in hymnis, artificio Poëtico & impropriæ quid recensetur, quaestionis & responsionis expressa sit mentio: quae, longe diuersam rationem esse inter hunc & illa loca, abunde testantur. Vid. B. FRISCHMVTHVS noster in disp. de *Seductione Serpentis antiqui Cap. I. §. XII. XIII.* & HOSMANNVS in *Notis ad Lightfooti obseruat. in Genesim p. 69.*

§. III. *Ophianorum*, quos THEODORETUS Tom. IV, Lib. I. Cap. XIV. *Haeretic. Fabular. Sethianos* vocat, & hos cum illis etiam conjungit; ab Ophitis tamen TERTVLLIANVS, & recenti aetate GOTTOFR. ARNOLDVS l. c. diuersos facit, refutacioni non immorabitur. Hugae enim sunt & non-nisi otiosae mentis fabulae: Vti ex EPIPHANIO itemque THEODORETO &c. appetat, vt Christianos pudeat illis assentiri, rectiusque istiusmodi homines negentur esse Christiani; quemadmodum & ORIGENES Lib. VI. aduersus *Celsum* eosdem ex Christianorum censu ejecisse legitur: Quia Christo maledicant, qui ad ipsorum castra transirent. Vnde facilior erit impiae istius sententiae refutatio, & locorum, quibus abutuntur, vindicatio, a Patribus jam tum suscepta. Qui enim ipsum Christum fuisse dicunt, eos refellit ipsa vocis ψαλμi significatio, quae in Scriptura S. nupsiam filio DEI tributa legitur; sed semper serpentem notat. Vnde absurdum ad locum *Philipp. II. 6. 7.* prouocatio, formam enim serui, non serpentis, afflumfissè dicitur. Ut vere impium sit & blasphemum, dicere, Christum in serpentis speciem transformatum, virginis uterum subiisse. Insignis etiam ex altera parte, quae Christo praestantiorem creditit serpentem, est loci *Num. XXI. παγεγυνέα*, qua eum ipsum serpentem, vim contra venenatos morsus habuisse jactitabant. Verum, dum morsus serpentum hominibus tum temporis fuit perniciosus & lethalis, sequitur, eam serpentis non fuisse praestantiam, multo minus majorem ipso Christo. Typi rationem habuit ille serpens aeneus in V. T. vnde non fuit praestantior antitypo, qui erat Christus, prout diserte docemur *Job. III. 14. 15.* de quo videatur

WIT-

WITSIVS in *Oecon. Foederum Lib. IV. Cap. X. p. 761. 765.* Tauri & agni V. T. sacrificia & typi, suo antitypo, quem repraesentabant, praefantiores & majores dici non poterunt. Nec enim ipsa serpentis illius natura fuit, vt sanarentur qui eum aspicerent, & hinc praefantior duceretur: sed DEus iis, quos serpentes pupugerant, per serpentem mali remedium parauerat, inquit EPIPHANIVS. Nisi cum Judaeis ineptire velis, qui *Talisma*, aut secundum alias *Tilsema*, h. e. imaginem ad certum stellarum influxum factam, vt ex aspectu ejus Israelite sanarentur, illum serpentem fuisse nugantur: vti ex *Georg. Michaelis Notis in Gaffarelli Curiosit. Not. 59. §. XVII.* animaduertit TAPPENIVS *Disp. cit. §. LIV. §. 49.* Id quod ex AEgyptiorum, Marforum, Psyllorum aliorumque Orientallium fascinandi serpentes more hauserunt forte Judaei. Ac si idem Moses, circa hos serpentes ope vnius serpentis aenei tentauerit, vti illi lapides, laminas & figuras Talismaticas, vt vocant, incantamenta facturi adhibuerunt. De quibus BOCHARTVS prolixo agit *Hieroz. Part. II. L. III. C. VI. col. 386. seq.* Judaeis haud obscure, licet paulo reuerentius, stipulatur MARSHAMVS in *Canone Chronico Secul. IX. p. 148.* Edit Franequer, 1696. quando Moses inquit, non tam serpentes ignes incantabat, ne noverent; quam eorum venenum extinguebat, & morsus arte leuabat. Ab HERMANNO WISTIO vero *AEgyptiacorum Lib. II. C. VIII. p. 113. seqq.* Itemque D. SALOMONE DEYLINGIO *Obscurat. Sacr. Part. II.* quæ Lipsiae 1711. prudiit, *Obscurat. XV. p. 159. seqq.* rectae haec & Marschami & Judeorum figura sunt explosa. Nullis enim incantamentis, quae DEus serio detestatur *Leuit. XIX. 26.* vbi לֹא תְהִרֵּת serpentes, expresso fanciuit; nulla etiam arte, sed expresso diuino mandato cum sanandi spe coniuncto, & DEI omnipotentia in typum Christi, sanati sunt, quotquot serpentem aeneum respexere. Peculiaris quidem ea explicandi ratio est, quando a multis defendi coepit, serpentem illum aeneum, non tam Christi, quam ipsius Diaboli typum fuisse: quia hunc Christus ab eodem cruce,

a qua

a qua ipse expenderet, secum suspensus erat, ad ipsum deuinendum. Serpentes enim mordentes, omnium interpretum consensu, esse emblemata diabolorum; qui mortis spiritualis & exitii humani generis primi sint auctores. Durum inde dictu existimant, in vna eademque historia serpentem modo Christi, modo Diaboli figuram gerere: satius itaque esse, serpentem eodem modo utrobique, siue mordentem Israelitas, siue exaltatum in pertica, considerari. Ασύγκλωσα enim videri, si qui Israelitas mordebat, typus dicitur Diaboli; & in pertica erectus, typus Christi. Ita sentit quandam Gallus ille celebris Eccles. Londinensis. V. M. JEAN d'ESPAGNE in *Schibboleth*. p. 552. Quod cum aliis hujus viri scriptis doctissimis Germanice versis edidit B. HOSMANNVS Celae 1699. Cui eandem debet FRANCISCUS BVRMANNVS in *Synopsi Theologiae & Foederum Dei*, & huic CAMPEGIVS VITRINGA *Observationum sacra- rum L. II. Cap. XI. rot.* qui docte admodum & prolixo de hac re disserit. Paucis vero eandem examinavit, atque rejecit idem Doctissimus HOSMANNVS in *Præf.* ad illa JOH. ESPAGNEI scripta. Scilicet falsum dicit, quod putat ESPAGNEVS. respici saltem hac sententia exaltationem ipsam non exaltatum. Cum comparatio typi & antitypi ratione exaltationis tantum instituta careat fundamento in verbis Christi *Job. III. 14.* qui in exaltato eam comparationem latere doceat, quando subnecit: *ut qui credant in eum, non perscant, sed vitam eternam habeant;* vbi aspectus serpentis & fides in Christum inuicem comparantur, vti enim illius objectum erat serpens, ita hujus objectum est Christus, & sic vtique aliqua serpentis acnei ad Christum relatio; terminus illius aspectus est serpens exaltatus, terminus vero fidei est Christus cruci affixus, & sic ille typi, hic vero antitypi rationem habere dicendum vel maxime erit. vid. DEYLING. l. c. Quanquam ob alia Scripturae S. loca negandum non sit, alteram illam, qua ille serpentis Diaboli typus dicitur, respectu exaltationis ipsius, ejusque usum, non prorsus esse contemnam, & forte commode cum

D

pri-

priore conjugi aut eidem subordinari potest, vt tanta vtriusque sententiae differentia non sit, teste enim Paulo Col. II.
¶ 14. 15. Christus delcuit, quod aduersus nos erat, chirographum, quod erat contrarium nobis per decreta, & illud fubulit emedio, affixum cruci: Exsoliutasque Principatus ac potestates ostentauit palam, triumphantibus de illis per semetipsum.

¶. IV. Succedit nunc CAJETANI, & qui cum eo fere facit, BEKKERI sententia, aequa cum reliquis repudianda. Atque illius quidem, cum specialius rem determinet, prius & leorism sumus visuri. Quod enim omnem profus serpentem excludat, atque Diabolum serpentis nomine apud Mosen venire per metaphoram eredat, hoc itidem nihil aliud est, quam (α) sine necessitate deserere literam, quae praesertim in historice seruanda omnino est, & tanto minus (β) haec ipsa hypothesis consistit, quanto magis constat ex ipso Codice sacro, eam Diabolo facultatem datum non esse, vt sine objecto aliquo externo, quod hominum sensibus objiciat, mediisque externe exhibitis aliis alicujus hominis integri animum interius flectat, & internas cogitationes suggerat. Solius enim Dei est imperare animis, & nupsiam vel angelos bonos vel malos hoc praestitisse legitur, confer quae hac Sect. II. §. I. contra Philonem fuerunt allata. (γ) Sine assumto corpore, vel corporis specie, parum vel nihil efficere potuit Satanás, illico enim Eua aduertisset fraudem, auresque dictis non praebuisset. Hominis vero specie aut corpore vti haud poterat, quia se solos in rerum natura existere protoplasti sciebant, siue generis socios tum temporis nondum habebant, alius vero animalis operi vti maluit, in specie serpentis, vt Moses testatur, nec tam facile in dubium vocari debet. Hoc enim nisi esset, (δ) ratio dari non posset, cur Satanás vocetur pasim serpens, quod certe ex nuda metaphorica locutione, quae in praesenti historia locum non habet, difficulter deriuares, sic enim eiusus animalis nomine, siue vulpis, siue elephantis &c. vocari potuisset, modo aliqua inter ipsos similitudo fuerit

rit obseruata; Ratio vero ea sufficit, quod vel commercium ei fuerit cum serpente vel serpentis larua fuerit inducus. Quod enim objicit (1.) CAJETANVS in Scriptura S. faepe occurrere vocabulum bruti, quod intelligentem creaturam denotet, v. gr. Christum vocari agnum, leonem & vermem, Diabolum Behemoth & Leuiathan &c. Ad hoc respondemus a delineatione Rhetorica ad descriptionem historicam non valere consequentiam, Christus enim improprie, figurate & antitypice vocatur agnus, leo &c. ob varia scilicet comparationis membra, ibi quidem, vbi textus non aliter, nisi hoc modo, exponere jubet; proprie enim si sumeres, nulla esset conuenientia, nullus sensus, sed magna verborum tortura. Idem esto judicium de vocibus Behemoth & Leuiathan, si quis improprie de Diabolo expondere velit, quanquam alii significationem propriam praeferant, vt vel Behemoth sit Elephas, & Leuiathan Crocodilus, juxta PFEIFFERVM in *Dub. Vexatis*, & PASCHIVM *disp. cit.* Cap. I. Theorem. I. §. III. vel juxta illustrem JOBVM LV. DOLFVM, qui Bochartum fecutus est, per Behemoth Hippopotamus, amphibium Niloticum, & per Leuiathan Crocodilus intelligatur: De quo dicit Celeberr. D. MAJVS in *Histor. Animal. LII. C.I.p.132.* Bochartum ita ostendisse accurate, esse Behemoth longe diuersum ab elephante animal, vt pudeat jam, tam diu in errore doctos fuisse homines. Quanquam rectius aliū Behemoth Elephantem, Leuiathan vero balaenam esse credant, id quod recenti adhuc aetate probavit pluribus Celeber. Academiae Aldorfinae Theologus, cum Physicae adhuc & Mathematum ibidem Professor esset, JOH. GVILIELMVS BAIERVVS in *Disp. de Behemoth & Leuiathan*, h. e. *Elephante & Balaena*. Non enim de diabolo dici potest, quod populo detur in eibum, quod *Ps. LXXIV. 14.* de Leuiathane, nec quod commedat foenum & depascat montes, quod *Job. XL. 16. seqq.* de Behemoth dicitur. (2.) Objecit CAJETANVS quia dicatur, *υδροῦτης μὲν θωτ ἡσθανεῖ τὸν θηγίαν ἐπὶ τῆς γῆς,* ergo

ergo nullum intelligi posse serpentem, sed Diabolum solum,
 cui haec apprime conueniant, ad quod Resp. docebimus &
 nos infra, quod haec rectius diabolo, quam serpenti, tri-
 buantur, idque ex phrasibus longe simillimis, quales qui-
 dem laudatus PASCHIVS nullas esse putat, quia ita sint
 comparatae, vt de iis nemo dubitet: atque idem esse au-
 tumat, si Daemonem dices omnibus brutis astutiorem, ac
 si hominem sapientiorem omnibus *afnis* dixeris. De serpente ta-
 men haec ipsa praedicantur, quia artifex ille πολυπρόγονος,
 sub ejus forma comparuerat, idque more valde confueto, vti
 v.gr. penna vocatur versata, lingua callida, ita & serpens,
 quem verum, licet non solum, esse credebant protoplasti,
 callidus hoc loco vocatur. (3.) Objicit, talem fuisse ser-
 pentem, qui callide loqui potuerit de rebus diuinis. Resp.
 nec hoc quisquam saniorum cum Judaeis serpenti tribuet,
 sed vnicce Diabolo, quod itidem commodius possunt ii,
 qui Satanam solum sine serpente vero & naturali compa-
 ruisse dicunt, vt de larua saltem aspectibili dicatur, quod
 ipsi laruato Diabolo competit, ideo, quia res duntaxat visi-
 biles hactenus Moses sistere voluit, vnde ex abrupto de in-
 visibili spiritu malo sermonem ordiri non decebat, si in-
 telligi voluisset. Non ergo haec omnia euincunt satis, nullo
 medio externo tanquam organo Satanam esse vsum, hoc
 enim cum praedicatis iisis omnibus, textu ipso praeunte,
 optime confistere potest. BEKKERVS, quem haec ipsa
 modo allata etiam feriunt, seorsim ab illo nominandus e-
 rat, quia partim in modi determinatione ab illo est diuer-
 sus, partim falsam & peculiarem hoc ipso hypothesis de-
 fendere saltem laborat, quae per totum ejus opus sese ex-
 tendit, vt hac subuersa eo facilius in hoc etiam negotio
 confundi possit. Est vero ea: Nullam dari operationem
 Spiritus in Spiritum, nec in corpus, cum quo Spiritui ni-
 hil sit commune, hinc nec Daemones nec angelos bonos
 operari posse in hominum corpora aut animos, id quod
 nec concipi possit. At vero non negabit BEKKERVS,
 Deum agere in mentes & corpora, & mentem humanam
 ope-

operari in corpus sibi vnitum: omne etiam possibile esse
quicquid Deus vult esse possibile, & contradictionem a parte
rei non inuolvit, nec rationem opponendam, vbi de reue-
latione constat, vel rem illico negandam esse, si modus rei
non capiatur. Cumque expressis verbis supra *Sect. I. §. V.* ci-
tatis fateatur, a Satana esse lapsum hominis, hoctamen, vi
hypothesos, & vt ipse §. 27. subnecit, sine operatione villa
Diaboli vel in animam Euae vel in corpus, modum licet
ignores, factum esse dicat, quis non videret haec esse acci-
sura? Hoc tamen assertum nouo ille superstruit fulcro,
acriter propugnans, diabolum statim a lapsu fuisse detru-
sum in Tartara, perpetuis carceribus alligatum, hinc nul-
lum ei in terra regnum, nullam potestatem &c. vid. 2. *Petr.*
II. 4. Judae versu 6. id quod etiam remouendum nobis erit:
Sibi vero ipsi non constare videtur. (α) Nec enim sic Euam
tentare potuisset, quod tamen factum esse concescit. (β)
Vox τάρταρος non excludit diaboli inter homines super ter-
ra commercium, non inepte enim hic GROTIUS defende-
re videtur, esse latioris significatus vocem, quae in *quaque*
re infimum denoter, sive in terra, sive in aqua, sive in aere. Vn-
de & Patres TERTULLIANVS, CHRYSOSTOMVS &c.
pertartarum 2. *Petr. II.* non tam infernum, quam aërem, regi-
onem aliquam infra coelestem & terrae propinquam intel-
ligunt, idque non sine ratione, namque *Epbes. VI. 12.* tene-
brae, in quibus dominatur Satanas, tenebrae hujus mundi vo-
cantur, item *Epbes. II.* Satanas ἄρχων τῆς ἔξοιλας τὸς ἀέρος
appellatur, quae satis ostendunt, non ita in abyso damna-
torum concludi Satanam, vt in aliis locis, quae τάρταρος
aeque vocantur, ei magna potentia, etiam inter homines,
non remanserit. Labascunt ergo haec duo fulcra Bekke-
ri, quibus totam superstruxit machinam, ita, ut illis, veluti
domus Philistea, subductis per Simsonem successive co-
lumnis, corruat, quicquid his innitus ille propugnauit. Sar-
tum vero tecumque hoc manet adhuc, quod Satanas non
solum lapsus causa fuerit, sed & potestatem habuerit, cor-

pus aliquod vel corporis laruam induendi, cuius ope felicius absoluere propositum; & longe alia ratio est, cur tentator ille serpens vocetur hic & in Nouo Testamento passim, quam metaphorica locutio, rectiusque, si Mosen dextre sequi velis, dices, ita vocari, quia sub serpentis forma apparuit. Quae prolixius contra Virum hunc vrgent SPANHEMIVS in Operibus Theolog. Part. II. Col. 1010. B. HOSMANNVS in Notis ad Lightfooti obseruac. in Genesim 104. & 105. ex instituto vero M. MICHAEL BERNS in der dreyfachen Welt, als der Christen, Phantasten und Bezauberten, Hamburgi 1697. vel, vt nunc vocat: Gründliche und völlige Wiederlegung der bezauberten Welt BALTH. BEKKERS, Lib. III. Cap. XIV. & XVI. totis.

S. V. Celeberrimi BOCHARTI mentem de Seductore serpente supra ex ipso traditam, haud etiam probabilem esse, puto. Ut enim illa taceam, quæ cum vulgari sententia ipsi sunt communia, qualia sunt, verum & naturale animal, serpentem, adfuisse; ei etiam ob commissum facinus poenam esse dictatam &c. §. §. seqq. diluenda: Quae singularia ei sunt, scilicet, serpentem illum nulla interna agitatione, sed extranea quadam virtute ad loquendum fuisse impulsum; ea tanti non videntur esse, vt sententiam ipsius satis confirment aut muniant, cum sensum verborum efficiant intricatum & satis difficilem. Obstat enim, quod diabolo eam potentiam tribuat, quae nullo modo spiritui creato competit per totum sacram Codicem. Dum enim ipse Celeberr. Vir serpentem naturalem ad loquelam ptoris ineptum esse, rectissime iuit demonstratum, vt hac Sect. II. §. II. vidimus; hinc non potuit Cacodaemon sua virtute extranea ipsam serpentis linguam ad loquelam disponere, nisi vel jungeret se se eidem, atque ex eo, prouti ex lignea lapideisque gentilium idolis subinde fecit, ipse loqueretur, serpentisque linguam facere appareret: vel laruam serpentis indueret, quod in ejus potestate situm esse, exempla Scripturae S. satis comprobant. Nam facere, vt animal,

ad

ad efformandum sermonem organis debitiss riuque dispositis haud quaquam instructum, ipsummet loquatur, opus est filius Dei, non Satanae: qui, uti nec coecis videbidi, nec furdis audiendi facultatem; ita nec animali muto, & al sermonem nulla ratione disposito, loquendi facultatem conferre potest. Forte vero per illud supernaturale & infusum, de quo l. c. loquitur, ad loquendum habilem fuisse redditum credit, vt, quoties impelleret Satanus, diceenda proferret. Sed si hoc, quaeritur, vnde fuerit illud supernaturale & infusum? non a Deo, quem alias lapsus Adamitici, & sic cum sociis, peccati auctorem faceret, quasi disposuisset omnia ad seducendum requisita. Quod tamen se haud immuere ipse fatetur; dum soli Satanus omnem operationem tribuit vid. §. VI. Sect. I. Neque etiam a Satana serpens illud habuit, quia supernaturalia quaevis, etiam loquendi potentiam impertiri, infinitae virtutis opus esse diximus. Quod vero ad exemplum asinae Bileami prouocet, GROTIUM fortasse fecutus, quae ex angelico alicujus boni virtute & ministerio fuderit voces; illud impertinenti prorsus modo huc refertur. Non enim de angelo, quem (vti fere videtur) censet esse creatum, dicitur, quod aperuerit os asinae, sed **רְאֵה נָמוֹן** Num. XXII. 28. dicitur apparuisse illud, ut diceret IPSA (confer. omnino praeter I. Num. c. etiam 2 Petr. II. 15.) quae extant. Siue angelum, cuius in textu fit mentio, contra distingui hoc ipso censeas, tanquam certo quodam indicio, Jehouae isti, ac praestitisse hactenus angelum, quod suum erat; siue hunc ipsum angelum dixeris increatum Dei filium, qui Johouae non opponatur, sed ipse Jehoua fuisse uberioris declaretur; Quod nos cum B. GERHARDO disp. *Isagog.* Loc. VII. de *Angelis* Cap. I. §. III. DORSCHAEVO dissert. *Philol. Theol. de Nominis DEI* **דָּבָר** §. XXVI. & CALOVIO in *Bibl. Illustr.* ad Num. XXII. fin. malumus, textuque arbitramur contemnentius, nihil morantes, quae, vt hypothesi siuae inseruat, contra B. DORSCHAEVUM pluribus hic assert. B. HACKSPANIVS

Nor.

Not. Philol. Theol. part. I. p. 484 - 494. Angelus enim hic dicitur *versu* 25. loqui ad Bileamum; ac *versu* 38. verba legitur DEus resuisse in ore Bileami, qua phrasis adhibita nusquam angelorum ministerium interueniens insinuatur, sed semper immediate facta reuelatio vel inspiratio diuina. Accedit, quod hic angelus *divinacaracterias* praecipit, quae fieri ab ipso velit *versu* 32. seqq. & vel solum hoc opus miraculosum, nulli creaturee competens, abunde arguit. Vnam interim vel alterum inter hanc de asina, & illam de serpente historiam adducetur discrimen inferius, ubi dabitur denuo de his dicendi locus. Nec nobis obstant loca Scripturae Sacrae, quae sibi magis fauere putat BOCHARTVS, quam aliis: v. gr. 2. Corinth. XI. 3. Apocal. XII. 9. Job VIII. 44. Sap. II. 24. testantur enim omnia Diabolum esse lapsus causam. Id quod conceditur. Cur vero in aliquibus serpens vocetur, ratio sufficiens est: quia sub illius figura cuneta peregit, vti §. *praeced. IV.* monitum est prolixius. Nec ethnicorum exempla rem satis probant. Quae enim CYRILLVS ex ipsorum historia vrget, de iis merito dubitare quis posset. Recte tamen ab eo καὶ ἀνθρώποις vrgentur: quia apud Gentiles nullum de iis erat dubium; vel, si qua vera esse videantur, extranea virtute ad loquendum a Satana ea impulsa fuisse credibile non est: sed vel per ea, vel sub ipsorum laruā, ipse malignus spiritus rectius dicetur loquutus.

§. VI. Nunc tandem ea, quae communis fere omnium est, sententia, paulo penitus inspicienda, fusiusque diducenda nobis erit, vt, quid incommodi patiatur, sine fastidioso contradicendi nouaturiendique pruritu doceamus. Evidem fieri omnino potuisse, vt Diabolus serpentem naturalem obsideret, & ex illo pariter ac mutis quondam gentilium Deastris vocem formaret sonumque distincte perceptibilem, inficiari nolumus: si modo sententiae isti confirmatae argumenta satis idonea ex textu possent adferri, quibus rem ita gestam esse euinceretur satis liquido, qualia

lia nos haec tenus non vidisse, ingenue profitemur. Serpentem naturalem & verum a Satana ἐνεγύρευον probant primo ex calliditate serpentis, qua Gen. III. 1. *callidior præ omnibus animalibus agri fuisse dicitur*, hoc vero cum de serpente in se spectato, prout sit omnium animalium astutissimum, atque ἔγκλισιν τε καὶ ναινίᾳ, vt Stoici vocant, h. e. natura *inclinationem ad evitandum malum habet*, tum de serpente in relatione ad Diabolum, cuius organon siille fuerit, optime dici, & sic de explicatione alia laborandum haud esse. Varia tamen contra haec moueri poterunt, (α) quidem, si illam calliditatem intelligas serpentis in se spectato naturalem; ea tanta non est, vt Euæ persuadere potuerit, se fore sicut Elohim, simulac comederit de arboris hujus fructu. Non enim quaevis animalis astutia, sed haec praecipue, qua hoc ipsum persuadere potuit protoplastis, intelligitur; aequa sane magna alias calliditatem in actionibus suis exerunt animalia multa alia, imo vel majorem, quam serpens facit: Sic vulpinæ astutiae tanta apud Philosophos veteres fuit depraedicatio, vt innumeratas, ad corrigendos hominum mores, cuderint de eadem fabulas; quales AESOPI sunt. Nullius tamen in rebus istiusmodi arduis vñus illa foret. Quare etiam Satanam serpentis calliditas parum vel nihil juuit in hoc negotio: nisi ipse rem praefitu difficultem egisset, quamvis sub alia forma. Et quicquid (β) serpens pro evitando vitae periculo praefitet, occultando caput ictibus excipiendus, obturando aurem a voce incantatoris; h. e. spernendo incantationes aequa ac si vel surdus esset, vel auribus obtusus, argumento locorum Prou. XXI. 13. Jes. XXXIII. 15. illud omne laude potius dignum censemus cum Sirac. C. XII. 13. quam vituperio. Hoc namque omnes suo creatori debet. Hic vero ea venit intelligenda calliditas, quae vafritem fraudemque in decipiendis protoplastis spirat, quod vituperium meretur, deque serpente naturali, animali tum prorsus innocuo, dici nullo modo potest. De quo plura vid. apud Cl. M. ORTLOBIVM Schediasm. bi-

E

par-

partit. Part. I. Sect. II. §. II. p. 12. 13. Vnde AQVILA rectius
 $\pi\alpha\tau\gamma\eta\sigma$ h.e. nequam & versipellis vertit; quam LXX. qui
 $\varphi\epsilon\omega\mu\sigma\tau\alpha\tau\sigma$ eum vocant. Evidem B. FRISCHMVTHVS
 disp. cit. Cap. I. §. II. dubitat, an illa nequitia per vocem שָׁרֵךְ
 indicetur? non enim omnem $\pi\alpha\tau\gamma\eta\sigma$ esse malam; sed
 $\pi\alpha\tau\gamma\eta\sigma$ & $\pi\alpha\tau\gamma\eta\sigma$ esse mediae significationis voces, pro re
 nata in pejorem vel meliorem partem exponendas. Nullo
 vero exemplo comprobatur, vbi haec praecipue vox Graeca,
 (de Hebraica tantisper concedam, vide enim BOCHAR-
 TVM Hieroz. Part. I. L. I. C. IV. Col. 27. 28.) in bonam partem
 sumatur; Et si probauerit, vel prima textus inspectio ju-
 babit hoc loco, vti alias ordinarie, in malam accipere par-
 tem. Scientia enim malitiae non est sapientia, Et non est pruden-
 tia, vbi est conflitum peccatorum, inquit Siracidos XIX. 19. Hinc,
 quia callidior fuit serpens prae aliis animalibus agri, ad
 Euam locutus dicitur, fraudem, quam intendit, execu-
 turus. Id quod conuersuum confirmat, dum dicitur:
 Serpens erat callidior &c. & dixit, seu, adeo ut diceret mulieri &c.
 Atque sic (γ) illi subiecto quod loqui potuit, tribuitur et-
 iam calliditas. Atqui serpens naturalis nec loqui potuit,
 nec fuit loquutus, vt fatentur omnes, ergo nec calliditas ei
 tribuitur. Et sic etiam non consistit argumentum a calli-
 ditate hac desumptum, quo defenditur, verum & natura-
 lem serpentem adfuisse in seductionis negotio. Dicunt
 quidem diabolum per illum protulisse verba. Resp. In
 quo sensu sumuntur verba: Et dixit mulieri, in eo sensu su-
 menda etiam sunt verba: Et erat serpens callidior. Est enim
 arctissima ob illud connexio. Atqui in sensu diuiso, de-
 que subiecto principali, illa sumit communior, dum non ser-
 penti, sed Diabolo loquelam tribuit; ergo & haec ita sumat.
 Nullo igitur arguento probatur ex calliditate serpentis na-
 turali, naturalem fuisse ipsum serpentem; Cum illius nec vo-
 la nec vestigium sit in textu: frustraque laborent, quot-
 quot innumeras species corradunt solertiae istius, vt sta-
 biliant hoc: callidiorem fuisse prae reliquis animalibus.
 Cum

Cum de vulpe, alioque animali, aequē tot afferri possint & vel plures: non tamen quis ferret dicentem, eam ideo esse callidiorē reliquis &c. Sunt vero, qui calliditatem serpentis in relatione ad diabolum intelligunt, vt ab hoc illi communicatam dicant, vnde vocem γίνη vertunt per factus est, & factus est serpens callidior, vti B. SEB. SCHMIDIVS, itemque GRAPIVS disp. cit. Sect. IV. §. III. IV. TAPPE. NIVS. XXII. p. 18. vertunt, relinquunt vero hoc ipso frequentiorem verbi significationem sine vlla necessitate: dumque hoc modo eam calliditatem soli Satanae adscribunt, eo quod, si ingressus non esset serpentem, hic callidior factus non fuisset; Inde nullum ipsis quoad haec verba remanet pro colubro naturali argumentum. Nisi persuadeat forte hoc, quod loco probationis porro adducunt, quando

§. VII. Vrgent secundo σύγειον, qua expressis verbis reliquis animalibus agri, serpens non modo calliditate anteponatur; sed & comparetur, iisque annumeretur. Ergo animal proprie dictum hic etiam fuerit necesse est. Prius vero expediuiimus haec tenus, quibus modo allatis forte addi posset, & loquela eum anteponi reliquis, quam ei tamen denegant. Ad posterius vero Resp. Nullam plane esse consequentiam, quin potius (α) innuitur hac locutione, illum non fuisse brutum, adeoque nec naturalem serpentem. Id ipsum vero (β) phrasibus longe similimis, ex ipsa etiam Scriptura Sacra petitis, probandum erit. Quas quidem supra laudatus PASCHIVS in contrarium haud dari credit, pro sua & communiori sententia easdem perse euidentes, fatis confidenter pronuncians. Ouum autem Ouo non est magis simile, quam phrasi ex hoc loco productae, sunt sequentes: *Luc. XVIII. 14.* legitur, *publicanus justus descendisse domum prae Phariseos, ergone & Phariseus justus dicendus erit?* sic *Ebr. I. 9.* *Christus unctus dicitur prae consortibus suis*, h. e. angelis (de quo videatur SEB. SCHMIDIVS in *Comment. ad h. l.*) *Oleo laetitiae ergone Christus angelus est, & ad illorum classem spectat?*

Ita Pauli argumentum falleret, & scopum non feriret, quo Christi sublimitatem & divinitatem, quodque ipsis angelis major sit, corroborare nitebatur. Alibi Christus quoad diuinam naturam *primogenitus dicitur omnium creaturarum* Col. I. 15. ergone secundum illam quoque naturam est creatura? Item David comparatur cum angelis, diciturque prudens ut illi 2. Sam. XIV. 17. 20. nec propterea erat angelus. 1. Sam. XXIV. 18. Saul dicit ad Davidem צַדִּיק מִתְנָדֵב justus es p[re]me. Ergone etiam Saul justus erat? Imo communis loquendi usus ita fert, quando dici confuevit, Angelus sapientior est homine quois: homo pudenter est elephante: Num ea propter angelus homo, aut homo elephas dicendus erit? Quod vix aliquis sibi persuaserit. Ita & hic se habere dicendum est, Serpentem fuisse callidum p[re]ae omnibus animalibus agri; non vero fuisse ipsum animal vere & proprie tale. Inuertit quidem haec laudatus PASCHIVS, quando Moses, inquit, serpentem cum caeteris animalibus confert, iisq[ue] calliditate anteponit. Si itaque dicitur leo fortissimus, elephas maximus animalium, utique haec ex numero animalium esse debent. Atvero Resp. Nihil quicquam derogant hae phrases prioribus, quas nos adduximus: quia a se inuicem illas differre facile appareat. Adfert enim PASCHIVS exempla superlatiuorum, cum in textu habeatur comparatiuus. Hunc vero eo, quo diximus modo, usurpari, constat exemplo publicani adducto. Imo etiam superlatiuum sic adhiberi, edocemur loco Col. I. jam citato, adeoque phrasin hanc omnis ambiguitatis expertem haud esse, palam est. Praesertim (γ) non de quois serpente in genere, sed hoc praecipue indiuiduo, quod seduxit Euam, fermo est. Hoc namque emphaticum vocis שָׁרָה in textu indicat. Ut ita commune non sit omnibus serpentibus, quod ad unum hunc restrinquit: & arguat hoc ipso, longe alium intelligi serpentem, quam naturalem. Contrariatur hic nobis denuo PASCHIVS & nulli fere non hujus sententiae fautores, acsi praefixi n[on] quod vulgo dici solet, emphatici determinatio hoc velit, ut indiceretur,

tur, illum ipsum serpentem fuisse, qui inter visibiles creaturas fuerit. Verum non erant haec verba seorsim accipienda, sed conjungenda cum reliquis, quae in contextu habentur. Non enim de serpente tantum quatenus fuit ex animalibus agri, sed quatenus simul callidus fuit, itemque loqui & ob commissum facinus poenam dare percuti, sermo est. Quae animo soli huic serpenti competere emphaticum docet: cuius alias exigua esset emphasis si vnicum illud saltem, quod fuerit animal terrae quodopian. respici dicas. Valet itaque hic: Vbi Spiritus S. non restringit, & nobis non est restringendum. Haec enim causa est, cur in versu 13. 14. repetatur illud **¶**: ne scilicet subiectum seducens a nobis mutetur. Quippe quod idem sit in actu seducendi, loquendi & luendi. Negligitur vero in versu 14. ab omnibus, quotquot totum serpentinum genus, aut certam ejus speciem punitam tradunt. Ex quibus fluit (**δ**) quod, nisi de hoc praecise indiuiduo rem exposueris, de serpente naturali falsus foret sensus. Nec enim ille astutior est omnibus bestiis terrae. Hinc enim accidisse diximus paulo superius, ut alii τὸ πῦρ per factus es, exparent. Addo jam saltem, haud nobis obstatre dictum Christi Matth. X. 16. Estote igitur prudentes veluti serpentes &c. Male enim alii hujus dicti sensum ex praesenti lapsus historia vennantur, calliditatem Mosi commemoratam, ac prudentiam serpentinam Saluatori laudatam confundentes, aut saltem comparantes inuicem. Satis enim euictum dedimus §. praeced. in malam sumendum esse partem, quicquid hic de serpentis alicujus calliditate dicatur: idque praecipue, dum Paulus ipse ita exponit, loco quidem huic historiae magis, si non prorsus, parallelo 2. Cor. XI. 3. Οὐ δῆλος ἐγένετο τῷ NB. πανεγγύλως αὐτῷ, non dicit ἐν τῷ Φρενῆσει, quod Matib. X. in bonam sumuntur partem, ubi omnino repellantur, quae §. praeced. de AQVILAE versione diximus. Cui junge BOCHARTVM Part. I. Hieroz. l.c. Scilicet non omnem serpentibus denegamus prudentiam, ne naturalem quidem,

eamque etiam majorem, quam quae columbis est: maximam tamen ipsis haud concedimus. In relatione itaque ad columbas, vel maxime aliqua in ipsis est Φρόντις, quae nostrum studium excitare queat, vt, sicuti in subeundis periculis cōput praecipue ille conatur tueri, reliquam corporis partem iētibus exponens; ita & nos, quae terrena sunt, non curmus, sed praecipuam partem, eamque cœlestem, tuaem, veram & simplicem in Christum fidem non amittentes. Non enim laudantur a Christo haec serpentis prudentia & columbae simplicitas solae & ab iniucem diuulse; sed tum demum, quando simul conjunctæ sunt, ita, vt vna suppleat quod deest in altera, aut corrigat, quod excedit. Quia duo pharmaca conjuncta, quae separatim noxia erant, se mutuo temperant. Quod recte videtur monuisse BOCHARTVS Hieroz. Part. II. L. I. Cap. IV. Col. 20. Non placet MOSIS AMYRALDI responsio, qui proverbialem esse locutionem dicit, vbi Christus ex vulgi sensu loquatur, non ex rei veritate.

§. VIII. Vrgent nunc *Tertio*, Deum ob peccati Satani atrocitatem, & sessorem Diabolum & instrumentum sive organon ejusdem, naturalem videlicet aspidem, puniuſſe: quale quid in detestationem sceleris fieri debuerit per leges diuinas *Exod. XXI. 28. 29. Leu. XX. 15. Deut. XIII. 15.* & juxta TAPPENIVM *Gen. IX. 5.* quae cum egregie hanc rem illustrent, nihil absurdi esse existimant, si dicatur, serpentem fuisse naturalem, & poena a Deo affectum, quoniam illo ad hominem seducendum abusus fuerat Diabolus. Resp. (α) Inauditum hoc est, brutum a Judice aliquo in judicium vocari, eique, factō, quod commisit, atroci recensito, sententiam promulgari. Id quod hic factum esse versu 14. Moses nos edocet. Cum nulli illud legi subiectum, nec moralitatis capax sit, nec judicis sententiam percipere ac intelligere valeat. (β) Valeret hoc argumentum aliquid, ac omni prorsus specie non destueretur, si iste tantum serpens in individuo punitus esset a Deo, quo
ceu

ceu nequitiae instrumento abusus est Satanas, nec eandem poenam versu 14. descriptam, subirent omnes, vel faciem plerique; Non enim est eadem ratio hominis primaeui & serpentis, quando totum serpentium genus, aut aliqua eiusdem species tota ob illud facinus punita vulgo creditur. Certo certius quidem est, in Adamo & Eva nos omnes peccasse, quem ex amborum semine nos omnes descendamus: Vtrum vero non nisi unum serpentum par, primitus a Deo fuerit productum, aque hoc vno & solo reliqua cuncta serpentum indiuidua, saltem ejusdem speciei, aequa descenderint, ut una specie, ad hominis seductionem adhibita, reliquae etiam plecti potuerint, forte haud immerito quis dubitaret. Nam enim tota dicitur terra produxisse animalia, magis citra dubium numero produxit, quibus homo dominaretur. (y) Ponamus, unum existisse par serpentum, nondum tamen hoc ipsum concedentes JOHANNI CLERICO, nescio quo fundamento illud propugnanti in *Comment. p. 35.* numne vtrumque indiuiduum peccasse dices, cum unius abusus sufficeret Satanae, siue masculi siue foemella fuerit? alterum si non peccauit, cur hoc ipsum eadem afficeretur poena, cur eo, quod solum nequitiae Satanicae instrumentum fuerat? Corruit vero (d) quod dicunt in majorem sceleris detestationem esse factum, ut innocens aliquin serpens puniretur tam severe. Quia nulla ratione hic quadrant exempla illa & loca, quae in medium afferunt viri caeteroquin doctissimi. Nullum enim profecto testatur, Deum etiam illud animal, quod in Sodomiae flagitio obnoxium non fuit abusui, per ignem, aut simili ratione puniendum sanxisse: sed potius hoc, cui cum homine istiusmodi flagitioso commercium fuerat. Et ubi queso! in tali etiam scelere bestia ad judicium rapitur, eique sententia praelegitur? Addo (e) poenam ratione illius indiuidui, quod Satan obcederat, iusto leuiorem esse. Quis enim crederet, cum post lapsum lex jussit bouem, si unum hominem ferierit, ita, ut moretur,

retur, trucidare, quod in serpentem, per quem Satanus homines in vniuersum omnes seduxerat, leui adeo poena DEI fuerit animaduersurus. Certe, si in detestationem sceleris, quoad flagitium Sodomiae, trucidatur bestia; & hic solendum videbatur serpens, Satanae in seductionis negotio organon. Praecipue, quoniam vita spiritualis, qua per hunc serpentem priuati sunt omnes Adamigenae, non exulta etiam naturali, multo sit praefantior, quam foli naturalis, quam bos cornupeta, vni personae eripit. Non ergo in hoc adstipulatur Cl. M. ORTLOBIO *Schediasin. bipart. Part I. Sect. II. §. III. p. 14.* dum argumentum illud, quod nobis opponunt, ob sceleris detestationem serpentem puniri potuisse, pro illustrandae poenae certo illatae aequitate, si Dei Judicium vindicare opus esset, valere concessit. Omnino enim illata esset Justo leuior, quam ut justitiae diuinae satisfaceret: Et inferenda non solum vni indiuiduo, sed & roti ejus speciei, laederet ejus bonitatem, qua animantia quaevis a se condita fouet ac tueretur. Quamvis quoad hoc recte diluat dubium illud, quod opponi posset de brutis ciuitatis Idololatrice & Amalekitarum *1. Sam. XV. 3.* ab hostibus occisis. Scilicet, si Deo placuisse funditus delere paradisum vna cum homine; nec superstes mansisset serpens. Dum vero id ipsum factum non est; appareat, diuersam hujus & illius rei esse rationem. Nec enim omnia pecorum horum genera aut species poena illa concernebat: nec sententia praelecta est in iudicium vocatis; sed Dei Justitia vindicativa etiam in haec animantia excurrebat vna cum possessoribus prorsus delenda, ne horum vlla vel in brutis superstes relinqueretur memoria.

§. IX. Quartum, idque praecipuum, pro serpente naturali argumentum versu 14. contineri vulgo creditur, potissimum apud eos, qui versum 14. de sole serpente naturali, & versum 15. de Diabolo solo exponendum dicunt. Tot vero in hac sententia deprehenduntur εργασίαι, quot fere verba vel phrases versus ille continet. In ipsis statim verbis

bis prooemialibus varius sese prodit dissensus, quando Mo-
ses *maledictus* *si*, inquit, *prae omni bestia agri*. Vbi, quia cer-
tam poenae speciem his verbis contineri putant, alii de
odio omnium animantium, vti PFEIFFERVS in *Dub. Vexat.*
p. 26. Alii de odio & veneno, quo noceret hominibus, po-
stea accepto, vti PASCHIUS *Disp. cit. Cap. I. Theor.* Alii
de vitae serpentis breuitate, vti ABEN ESRA in *Comment.*
ad b. l. Alii de difficultate serpentis generandi, exponere la-
borarunt. Quae pluribus examinauit Cl. M. ORTLOBIVS
Schediasm. bipart. Part. I. Sect. II. §. VI. p. 20. Nobis haec verba
nihil probant, quia non tam peculiarem poenae speciem
indicant, quam generaliter docent, quis sit poenae dictatae
tristis euentus futurus. Fore nimurum vt sic maledictus sit
serpens *prae omnibus bestiis agri* &c. Fortasse vero ma-
jorem probandi speciem praebet maledictio ipsa, & primum
maledictionis membrum. Cum enim serpens super ventre
ire a Deo jubeatur, idque sese ita habere, oculi nostri te-
stentur; ergo naturalem ex hac historia serpentem excludi
non posse, recte colligi putant. Resp. Cum & in his ver-
bis varius interpretum sit dissensus, quoad eos I. res erit
examinanda, qui serpentem ante lapsum pedibus instru-
ctum, iisdem vero post lapsum priuatum fuisse defendunt,
nihil praecise definites, num duobus aut pluribus pedi-
bus incesserit ille, id quod ex recentioribus Doctissimus
TAPPENIVS *disp. cit. §. LXV. p. 49.* aliique plures aferunt.
Quid vero obstat, (ω) si conjecturis indulgere liceret, quo
minus etiam cum Judaeis dicas, loquelam serpenti illi fuisse
tum temporis propriam, ipsique post lapsum ademtam?
Nullum certe argumentum solidum suppeteret, quo has
Judeorum nugas retunderes. Quod si dicas, nullius lo-
quelae in sententia serpenti lata, fieri mentionem, qua ille
sit priuatus; priuationis vero pedum aliquam adesse: ideo-
que Judeorum exceptiones facile excludi. Eo autem vali-
dius sententiam de serpente ante lapsum pedibus praedito
hinc adstrui, quo certior & omnium confessione firmior

sit a priuatione ad habitam argumentatio. Resp. concedimus quidem, illam concludendi rationem esse validam, si quidem de priuatione certo constet. Priuationis vero istius non satis certa in textu vestigia apparere, docebunt sequentia. Obstat nimurum (β) quod vel hac ratione nimis justitiae diuinae rigor fuisse videatur, quippe quae grauius puniuisset serpentem, (qui Satanae non potuerat resistere, quo minus illo abuteretur: quique nihil contra legem, quam non habebat, admiserat,) quam hominem. Qui, licet dubio procul longe grauius deliquerit, quam serpens, pedibus suisabus ad arborem vetitam accedendo; auribus item seductori auscultando; nec non loquela, in colloquium cum eodem descendendo; non tamen parte aliqua integrali legitur priuatus: imo, nec quoad ipsius Satanae, qui proprio ausu & instinctu hic omnia peregit, labiisque causa principalis exstitit, substantiam quicquam fuisse mutatum cernimus. (γ) Innumeræ ob oculos nobis sunt reptilium species, quibus cum serpente fere quousque hoc, ut nullis pedibus insistant, commune est, nullum inde vel leue incommodum sentientibus, aequæ ac quadrupedum ratio esse solet, quae dum terris semper affixa, alis se esse efferre nequeunt, nihil inde patiuntur molestiae. Imo, nec reptandi velocitate superant reptilia alia serpentem: qui commode in loca quaevis, celeri satis motu, & ex locis longinquis, ad latibula, quae deseruerat, se confert. De ipsis draconibus, quos pedibus carere doctissimi quique defendant, notatu dignum est, quod apud PHILOSTRA-TVM LEMNIVM in vita Apollonii Tyanci Lib. III. C. II. f. 113. Edit. Parif. 1608. aut recentissime Lipsi. L. III. c. VI. f. 99. legimus: δέσαντων μὲν γαρ δὴ ἀπέριον μῆνος κατεβάσαι πάσσα οὐδεινή χώρα. καὶ μεσά μὲν αὐτῶν ἔλη, μεσά δὲ ὄρη. κένος εὐείς λόφοι. οἱ μὲν δὴ ἔλαιοι γαθροὶ τέ εἰσι, καὶ τρεκοντάπηχυ μῆνος ἔχουσι. καὶ κένοντος αὐτῶν εἰς αὐτὸν εἰσει. e. interprete MORRELLO, Omnis Indiae regio draconibus abundat. Et multitudine, Et magnitudine mirandis. Itaque paludes plenæ sunt Et montes, ne-

quc

que tumulus illus iis vacuus reperitur. Verum palustres pigri, tam
dique sunt, longitudine cubitorum triginta, & vix caput attolentes.
Quo ipso, majorem campestribus competere velocitatem
innuit, quos f. 114. λεπτοτέρες καὶ διαστέρες, corpore gra-
ciliores & in quancunque partem versatiles nominat. Id-
que a prima creatione sibi per creatoris benignitatem esse
datum, hoc ipso testantur, quod partim cum aliis animanti-
bus infontibus, adeoque poena non affectis, haec sibi ha-
bent communia, partim vero in his, quae naturalia sunt
abusui Satanicō non expositis, eximia quadam praeroga-
tiua adhuc dum gaudent. Certe ex his te non expedes, ni-
si (δ) nouam creaturarum speciem finito creationis hexaē-
ro a Deo productam statuas: qui tamen ab omni opere
quieuit, nec euulsi serpentis pedibus carne & cute partem
laesam clausisse, & reliqua alia mutasse dicendus est. I-
mo (ε) quid, si istiusmodi serpentum speciei indiuiduo vi-
sus esset Satanas, quae hodienum pedibus, quales basilisci
dicuntur esse, gaudent? de quibū illud LVCANI dici
posset:

Et contentus humum cauda susticare pareas.

Jaculum item serpentum genus ex arborum ramis vibrari: nec
pedibus tantum paendas serpentes, sed & missili volare tormento,
tradit PLINIVS Libr. VIII. Cap. XXIII. Et Libr. XI. (non,
prout alii vitiōse libr. 2.) Cap. XLVII. vīsa, inquit, iam etiam
serpentes anserinis pedibus. Quod tamen BOCHARTVS non
fatis certum esse docet Hieroz. part. I. Libr. I. Cap. IV. col. 23.
Quidam ventre ita non semper humo incubant, sed in arbo-
res subinde ascendunt, quidam erexit incedunt: sua itaque
maledictioni diuinæ veritas non constaret. Ipsi certe ser-
pentis naturalis propugnatores dissentiant, incerti, quali
præcise serpente induitus fuerit Satan; num vipera vt BON-
FRERIVS & DELRIO? num scytale, vt PERERIVS? num ba-
silisco, vt EVGVBINVS? num dracone, vt Celeb. MAJVS con-
iūcit differt. *Sacr. p. 344.* Quae omnia testantur, euichum fatis
non esse, pedes, quibus ante lapsum gauisus fuerat serpens, ei-

dem ademtos, adeoque per verba *in ventre repes*, naturalem in hac historia necessarie intelligendum esse. (ξ) Fundamento haud solido nituntur, quicunque vulgarem illam teneant. Praecipuum enim est, quod *vers.* 1. serpens ille cum bestiis agri conferatur, & ipsis, tanquam a reptilibus *Cap. 25. 26.* distinctis, annumeretur. Resp. Negando, quod annumeretur bestiis: quin potius sua calliditate ab ipsis distingui docuimus supra §. VIII. phrasibus simillimis. Licet vero comparari & conferri cum ipsis non negauerim: non tamen concesserim consequentiam, ergo habuit pedes. Sic ad *Matth. X. 16.* formari posset propositio, Serpentes sunt prudentiores columbis: non tamen pedibus & aliis instructos exinde colliges. Eo usque enim tertium comparationis non est extendendum, ut pluribus habet laudatus M. ORTLOBIVS *Schediasm. bipart.* II. p. 22. 23. Nec nobis obstat exemplum Nebucadnezaris: de quo Celeb. GRAPIVS (ad secundam disensus Classem, de quo mox, licet referendus) *Diss. de Tentatione Euae & Christi. C. I. Se^t IV. §. XI.* Quid absurdum, inquit, ut animal antea erectum incendit, nunc per maledictionem ingrediatur super pectus, quod enim in exemplo Nebucadnezaris difficultatis nihil habet *Dan. IV.* quomodo id nobis hoc loco difficultatem quandam pariet? disparima vero ratio utriusque est. Nihil enim in Nebucadnezaris substantia mutatum legitur: quale quid priuatione pedum in serpente factum esse, admittit Celeberrimus ille Auctor. Nebucadnezarem immediate super pectus ex maledictione diuina incessisse, etiam si de incessu super pectus prono aliquid in textu exstaret, credibile non est: sed manibus illud suffultum, eleuatum a terra, nihilominus adhuc fuisset. Audiendi enim certe non sunt, qui cum EPIPHANIO *in vita Danielis*, CORNELIO AGRIPPA in libro *de vanitate omnium scientiarum* externe & essentialiter Nebucadnezarem in bouem mutatum esse propugnant. Qua de mutatione in textu ne γένος quidem habetur. Quod vero dicitur *vers. 13.* Et cor bestiae detur ei: hoc rationis usum in actu secundo aliquamdiu suspensum in-

mob

indicat. Stylo enim Scripturae S. cor subinde pro operatio-
nibus animae rationalis ex corde prodeuntibus, speciatim
pro rationis vſu & exercitio, adhiberi consueuit vid. *Matth.*
XIII. 15. Matth. XXIV. 48. Marc. II. 6. 8. Marc. XI. 23. quibus ad-
de *Marc. VII. 21. C. XII. 30. 33. item Dan. II. 30. C. VII. 28.* Quo
ſenſu etiam Latinis *excors* vſurpari docemur verbis CICERO-
NIS in *Laelio ad finem*: *Aperite adulantem nemo non viat, niſi*
qui admodum eſt excors. Mutatio item victus ſubſtantialem
ipsius perfonae mutationem minime arguit; ſed acci-
dentalē tantum: qua temperamento mutato, & orexi ad
comedendum gramen directa, indomitus, efferatus & im-
mansuetus factus; non vero in ipsum bouem mutatus eſt.
De quo prolixius poſt PFEIFFERVM in *Dub. Vexat.* & MAT-
THIAM in *Theatr. Histor. p.m. 86. 87.* recentius egerunt LOE-
SCHERVS in disp. de *Μεταμυρ̄ωσις Nebucadnezaris*, item
WEIDNERVS in disp. Rostoch. 1706. habit. de *miraculoſa*
ſubſtantiarum transmutatione Diabolo impossibili §. XVII. D. EN-
GELKE in disp. Rostoch. 1707. habit. de *miraculis* §. VI. tot. Ea-
dem etiam dicta ſunto iis, qui II. ſpecialius hunc descripturi
ſerpentem, duobus pedibus & elato pectore eundem. inces-
ſiſte contendunt: ut poſtea non tam ſuper ventrem, quam
ſuper pectus ire fuerit coactus. Vulgatus huic ſententiae
conformiter reddit vocem ΙΠ, in quem ſenſum etiam LXX.
Interpretes nonnullis accipiuntur, quo de tamen infra pluri-
bus dicetur. Caeterū eam ſententiam defendiſſe teſtatur
TAPPENIVS p. 51. JOHANNEM ARROWSMITH. prof.
Theol. Cantabrigiensem, in *Tract. Sacr. Libr. I. Cap. I.* at-
que D. SEBAST. NIEMANNVM in *Coll. MST. ad loca*
diffic. Script. S. Anno 1670. habit. cum his eadem ſtatuit
JOSEPHVS MEDVS in *Anglic. diſſert.* de quo vide ſupra ſect.
I. §. VIII. Quibus ab his parum vel nihil diuersos adde B.
PFEIFFERVM, GRAPIVM, praecipue vero JOH. PASCHI-
VM disp. cit. *Cap. II. §. II.* Quando bipes, inquit, incessit ſen-
tens, vti Gallus & pauo: hocque probaturus pergit patere id-
ipſum (8) ex maledictione, vbi ſuper pectus ire jubetur: quia pe-

des nunc vel prorsus demiti, vel inter pectus absorpti, vel in substan-
tiam totius transmutati sunt. Huic vero objectioni cum ma-
ximam partem jam sit satisfactum, breuissimis subiecto (a)
haec tam certo astri non posse. In genere enim saltet de
serpente loquitur Moses: ad serpentum vero genus & ba-
siliscus refertur, cui pedes etiamnum sunt atque elatum
pectus. Quid si hoc usus fuisset Satan, tanquam serpen-
tum Regi, cui cedit omne reptilium genus; De quo LVCA-
NVS canit:

late fibi submouet omnia

Vulgaris, & in vacua regnat basiliscus arena.

Hoc inquam si usus fuisset Satan, cur pedes demiti eidem non
sunt, isque super pedes ire coactus? Etiamsi vero, conuenienter locis Noui Testamenti variis, credit PACSHIVS fuisse
draconem: aque tamen difficulter in hunc, ac in basilis-
cum, hypothesis ejus quadrabit. Nam draconem pedibus
carere, haud quidem negauero; non tamen pectore in hu-
mum depresso legitur ille incedere: quin potius diductis
faucibus sursum aspirare, ventosque & aues superuolan-
tes aspiratione sua attrahere. Id quod PLINIVS Libr. VIII.
Cap. XIV. testatur ex Metradora, in tantam magnitudinem ser-
pentes adolescere circa Rhyniacum amnum in Ponte, ut superuolan-
tes, quamvis alte pernicienterque, alites haustu raptas absorbant. Et
CLAVDIVS AELIANVS de animalium natura Libr. II. Cap.
XXI. p. 99. edit. Lugdum. 1616. scribit: λέγετο δὲ Φρέγιοι λόγοι,
καὶ ἐν Φρεγὶ γενέσθαι δέσποτας, καὶ περικενά αὐτες εἰς δέ-
κα δέκας - καὶ περὶ τῶν πετομῶν Ρυνδαῖων, τὸ μέγιτον τῆς
σπέρας τίπησσαν εἰς τὴν γῆν, τὸ δὲ λοιπὸν σφραγίδεσποτας
σᾶν, αὐτέργε μα καὶ μουχῆ την Φάρεγγα σύντετοντες, καὶ μέγιος
καὶ τὸ σφραγίδεσποτας, ἐπει τὰ σῆμα ἔλκουσι διονεὶ ἕνγει
τὸ ἀσθίματι. In Phrygia dracones ad magnitudinem decem pas-
suum procedentes nasci ferunt. --- Et ad nuncupatum in Pon-
to amnum Rhyniacum cauda ad terram adniti, reliquo erecto corpo-
re, toto gutture eminenti, & paulatim laxato ore biante, volucres sua
aspiratione tanquam amatori quodam ad se attrabunt. Proinde

nee

nec in hoc veritati est consentaneum, quod haec sententia tradit. (b) Perinde fuerit, sive vocem נַחַר per peccus, sive per ventrem transtuleris. Occurrit praeter hunc locum non nisi semel in vniuerso codice sacro, ut testantur concordant. Hebraeor. nimirum Leuit. XI. 42. vbi citra dubium notat vtrumque, adhibetur enim in genere de quibusvis reptilibus, sive ea super ventre, sive peccore, sive capite gradiantur. Vide liquet τὸ νότην notare, quicquid est depresso ac incurvatum, sive caput, sive peccus, sive ventre illud fuerit. Idque confirmat egregie radix מְנֻזָּה ex Chaldaismo repetenda, in quo significat: pronum se aljice in ventrem, verticem & caput inclinare, respondetque Hebraorum כְּרוֹעַ & שְׁתַחֲחוֹ Psalm. XX. 9. itemque לֵב גָּדָר pr. cubuit toto corpore, inclinatus fuit, pro quo habet Jonathan I. Reg. XVIII. 42. Elias דָּרְיוֹן רָאֵן inclinatus ad terram faciem suam posuit inter genua sua. Quare LXX. ad Genes. III. 14. non tantum ventrem, sed simul peccus exprimunt: ἐπὶ τῷ σώματι τῆς γῆς κοιλαῖς. Quamquam Leuit. I. c. tantum ἐπὶ κοιλαῖς ponant. Quae pro nostra sententia, ut infra Sect. III. videbimus, faciunt egregie. Porro probaturus, hanc sententiam PASCHIVS pergit, patere id ipsum (2) ex assertione Mosis. Refert enim hunc serpentem ad bestias terrarum, quas supra jumentis & reptilibus contradistinxerat. Resp. referat, vel potius referre videatur, non tamen sequitur, serpentem fuisse bestiam agri, ut diximus supra Sect. II. §. VII. & jam paulo ante. Multo minus sequitur, ergo duos pedes habuit. Non enim duobus illas incedere pedibus dicet; sed maximam partem, si non omnes quatuor, ita vero & serpentem quatuor quoque incessisse pedibus conccludi possit. Ut paioni & gallo fuerit dissimillimus. (3) Duos habuisse pedes probare sustinet ex aggressionis ratione. Non enim, ait, ut pictores pingunt, flexuoso suo corpore, & refugo caudae tractu arborum ascendit; sed Euam collo & blandiente cauda more battenuis inter ipsos consueto aggreditur. Resp. (a) Probatione indigerent haec & reliqua, quae I. c. habet, quippe quae satis confunduntur.

den-

denter quidem afferuntur, sed sine vlo vel leui probatae auctoritatis testimonio. (b) Parum vel nihil effecissent collati elevatio, caudeaque blanditiae; vt ob haec eo facilius Eua in ejus colloquium descenderet, eique auscultaret, nisi verborum lenociniis circumuenisset Euam. Si vero tacente Scriptura circa modum deceptionis conjectuae indulgendum; longe probabilius esse crediderim, hanc esse aggressions rationem. Solitos subinde fuisse Angelos bonos hominem suauiter alloqui per animantium schemata: vt Scanas hoc eo tutius fuerit imitatus, & Eua factum per serpentem (vt ei quidem videbatur) colloquium admirata non fuerit: existimans, a bono illud proficii Angelo. Ad quod animalis figura, pedes aut caudae blandimenta, nihil conferre poterant. Defendit non inepte etiam, FLAVIVS JOSEPHVS Lib. I. Cap. II. Antiq. Jud. Serpentem, dum nullum fuit inter animalia dissidium, familiariter cum Adamo & vxore ejus degisse, quando ait: οφις συνδιπνωμενος τῷτε Αδάμῳ νεὶ τῇ γυναι: Adstipulantur ei BASILIVS in Homilia de Paradiso. DAMASCENVS Lib. II. Cap. X. de Fide orthodoxa aliisque. Ulterius vero progreditur DON LAVRENTIVS RAMIREZ de PRADO in Πεντηκοντάχρω Cap. I. p. 33. Euam non solum lusitare cum serpente, sed & sinus ornare, atque collum & brachia, fuisse solitam. Et p. 36. Forte, inquit, ex illo tempore, quo in delictis serpens erat Euae; in nostrum usque miraculis solemus vocitare collaria foeminarum, quae sunt ad similitudinem serpentum, quae monilia Graeci οφει appellant. Atque hinc viri istius hypothesis cognoscitur, qua, dum serpens callidior omnibus animalibus terrae a LXX Φεονισταρος vacatur, Φεονιστ vocari existimat industrios eutrapelos, domesticos, & qui se insinuant nobis, & familiare conuersantur. Vnde & serpentem hunc non tam callidum, quam industrium, familiarem &c. dicendum opinatur. Quae tamen nos suo Auctori, qui subtilis alias ingenii fuit, relinquisimus. Caeterum, ea serpentis figura, quam PASCHIVS noster corrigit, a pictoribus ita fingi consuevit; quia qual praeci-

nab

praeclere serpentis specie usus sit Satan, certo non constat: & quia vulgi conceptibus se se accommodant, quod talem, quales quotidie videt, serpente fuisse credit. Licit vero pictoribus:

Quidlibet audendi semper fuit aqua potestas:

Conuenientius tamen Nouo Testamento draconis figuram oculis sisterent, si prius de ea certo constaret. Vti accuratiorem tradere videtur BOCHARTVS *Hieroz. part. II. Lib. III. Cap. XIV. Col. 435. 436.* III. Succedunt ii, quibus durius videtur, si dicatur, pedibus ante lapsum instructum serpentem, iisdem post lapsum fuisse priuatum. Vnde phrasis, qua ille super ventrem ire jubetur, exponi ab ipsis solet, quod versa natura omnis agilitas sit suppresa & ob DEI maledictionem in supplicium res facta laboriosa. Vti partus mulierem antea non dolorificus: & nuditas hominum antea commoda; itemque labor & cultura horti, homini quoque ante lapsum demandata *Gen. II. 15.* quae peccato introducto facta sunt molesta, & virium debilitationem post se trahere cooperunt *Gen. III. 18. 19.* Id quod defendit GROTTVS ad b. I. BOCHARTVS in *Operibus Col. 842.* & in *Hieroz. Part. I. L. I. Col. 23.* B. FRISCHMVTHVS disp. cit. C. I. §. XVII. & XXIII. qui plures dabit cum M. ORTLOBIO *Schediasm. bipartit. Sect. II. §. VIII. p. 24.* Refp. (α) nullum hujus rei apparet vestigium, siue in serpentibus nostrarum regionum, siue in aliis serpentum speciebus, apud alias gentes, quantum quidem historiae animalium scriptores testantur. Sed debita eosdem velocitate, si non majore, quam quae aliis reptilibus est, instructos videmus; nec, quid incommodi, aut molestiae inde habeant, ostendi poterit. Collaudat ipse BOCHARTVS l. c. contra eos, qui serpentem *ἄποδον* fuisse negant, *Philosophorum Principem* in libro de *incestu animalium Tom. II. Opp. Cap. VIII. fol. 162.* edit. Parif. 1654. qui ex corporis structura demonstrari fuisse, serpentem quamcunque in partem flecti & procedere debere; indeque adeo, si pedibus foret instructus, eos impedimento potius futuros, quam auxilio.

(β) Vbicunque in Scriptura S. poena denunciatur, non illud tantum, quod antea jam in vsu fuerat absque poenae rationem, exprimi solet, sed hoc vel maxime adjicitur, sub quo deinceps respectu poenae rationem habeat. Nec poena mulieri marique infligenda huc quadrare videtur, quia limitationem ipsam habent adjectam & expressam, *Cum dolore enim, inquit DEus, paritura es liberos; item maledicta sit terra, cum dolore comedes eam; seu prouentum ejus: In fudo faciei comedes panem &c.* Qualis limitatio, si phrasit illi, super ventrem ibis, esset adjecta, haberent forte aliquid, quo suum assertum confirmarent. (γ) Adhuc leuiorem, quoad indiuiduum hoc, redderent poenam, quam ii faciunt, qui pedibus eundem, quibus gauisus erat, dicunt priuatum. Quod vero ex animalibus in Sodomia abusui obnoxiiis, quibus ipsimet rem illustrant, non consistere, diximus superius §. VIII. *bujus Sectionis.* IV. Subiectore his placet peculiarem DIDYMI in Caten. Lipom. sententiam: qui, teste PFEIFFERO in Dub. Vexatis, serpentem *αποδει* creatum credidit; pedes tamen Satanam superaddidisse, ut lapsum promoueret: quibus ad tempus erectus incesserit, postea ex sententia judicis iterum depresso, ut serperet. Ad quid vero (α) pedes, quibus carere poterat? vide dicta paulo superius. Anne (β) pedes, vere tales fuisse dicet, vt DEI iussum auferendi fuerint? cum sponte alias euanisset. An sic. (γ) leuissima suffecisset poena? imo quae nulla esset: ad suum enim commodum rediisset serpens, quod suppositis pedibus tantisper sublatum fuerat. Vnde denique (ε) Satanae potestas, vt a se formatos pedes, animalis prorsus innocui pectori aptaret; quos, si vere tales credat, confidere non poterat: si apparterenter tales, quomodo animal istiusmodi sustinuisse credibile est?

§. X. Vrgeri nunc solet *quinto* phrasis illa, qua Deus puluerem inquit, *comedes per dies vitae tuae.* Quae apprime conueniat serpentibus: eumque naturalem fuisse in seductionis negotio arguat. Quemadmodum vero adhuc in sententiae com-

communioris probationibus fere omnibus ac singulis diffen-
sum non exiguum, magnae incertitudinis documentum
haud vulgare animaduertimus: ita circa hanc quoque phra-
sim Interpretes in diuersa abire constat. Existimat I. R. ABAR-
BANEL in *Comment. ad b. l.* puluerem alimentum proprium
esse serpentis, cui B. PFEIFFERVS in *Dub. Vexat.* p. 27. &
nulli fere non adstipulantur, cum ad experientiam, tum
ad loca aliqua Scripturae S. prouocantes. Resp. (α) Non-
dum concesserim cum Cl. M. ORTLOBIO *disp. cit.* p. 25. solo
hoc viētu puluerulento contentos viuere serpentes. Nam
ARISTOTELES iamtum *Histor. Animal.* Tom. II. Opp. Libr.
VIII. Cap. IV. tot. f. 384. Edit. Paris. 1654. monet, eos potius in-
ter animalia πεντε φύγοις ομοιορά referendos, quam νοεροφύγοις
pulucruorā: quando λαχυτάτες τῶν ζώων vocat. i. e. cupedias
deditos prae cacteris animalibus. Quod enim hic ad experienti-
am testem prouocare soleant contrarium sentientes; eam ite-
non stabilent, vt quibusuis aliis extra puluerem eos abstine-
re inde satis certo probari possit. Licet concedatur, quod,
dum repunt in terra, subinde forte ori proximos puluiscu-
los, vti gallus & gallina solent lapillos, deglutiens, sine
villa quidem molestia, quae poenae rationem haberet. His
tamen solis non vescuntur. Aequo enim contrarium do-
cet experientia etiam in vulgus nota & frequens, dele-
ctari eosdem pomis, pane &c. Dum v. g. quandoque in
nundinis hominum genus videmus, quod, vt rem suam un-
guentariam reddat magis vendibilem, serpentum suorum
lusū, quos magno numero secum habet, emtores accerse-
re quasi solet. Vbi saepius a spectatoribus pomi, panis,
aliusque cibi, quo homo vescitur, particulam porrectam
ab ipsis consumi, oculi nostri testantur: testantur & idem
optimi historiae animalium scriptores. Cum itaque (δ) in hoc
serpentum genere, quod in nostris regionibus frequens est,
& ita depresso per ipsum puluerem terramque permeat,
vt iis fere obtegatur, illud fieri non obseruetur: multo mi-
nus de alijs serpentum speciebus, quibus insignis est ma-

gnitudo, a puluere terraque quoad rictum longius remo-
tis dici poterit, quod solo puluere vescantur. Ipsum dra-
conem, cuius praecipue habenda est ratio, aibus coeli
delectari, audiuiimus §. *praeced.* ex Aeliani testimonio. Qua-
lia magno numero dabit BOCHARTVS *Hieroz. Part. II. Lib.*
III. XIV. Nec obstant loca quae opponi solent. v. g. a
PFEIFFERO in *Dub. Vexat. Esa. LXV. 25. Mich. VII. 17.* In v-
troque enim serpens non naturalis, sed ipse etiam Diabo-
lus stylo propheticō sub serpentis nomine sifstir. Testa-
tur enim in illo lesiae loco contextus, lupum & leonem
denotare homines efferos & barbaros: qui verbi diuinivir-
tute & singulari DEI gratia sint conuertendi, & mites, pii,
depositaque omni duritie & barbarie, tractabiles futuri.
Serpentem vero h. e. diabolum semper mansurum pulue-
ris esum, quia bonorum spiritualium & meriti Christi parti-
ceps fieri nequeat. Quae, si proprie exponeres, nulla verbis
veritas, sensus & momentum inesset. Nec tanquam futu-
rum praedici posset: quia dudum puluerem terrae ser-
pens comedisset. Sic & quoad *Mich. VII. 17.* res fese habet,
vbi misera impiorum fors describitur, qua, sicut Diabolus
cum sua cohorte trepidat coram DEO, horrore & timore
concussus *Jacob. II. 19.* Ita ipsi miserrimi quandam sint futu-
ri; dum idem stupor & angor intolerabilis animas ipsorum
sit occupaturus, ipsique abjectissimi coram DEO fu-
turi. Quae, si etiam proprie sumeres, non appareret, quo-
modo serpentes naturales hujus horroris & stuporis hor-
rendi exemplar proterue peccantibus extare possint. Ut
pluribus & eleganter haec confirmat B. WINCKLERVS *Con-*
cion. laud. p. 33. - 35. II. Aliis itaque haec prior sententia
non arridet. Vnde de pulueris commestione exponunt, qua-
dum serpens humi repat, fieri non possit, quin cum aliis
cibis puluerem in os ingerat, licet solus puluis serpentis ci-
bus alias non sit. Id quod JOH. CLERICVS in *Comment.*
ad. b. I. itemque BOCHARTVS *Hieroz. part. I. Lib. I. C. IV. Col.*
29. defendant, quod tamen facile retundes. Siquidem (α) ita
non

non constaret; quae sit poena hac in re, qua serpens nontandus erat. Esset etiam inconueniens, quia non solis serpentibus contingit, vt yna cum cibis aliquantum pulueris ingerant: ipsi cum homine, & nulli fere non animali terrae hoc est commune. Vti enim nullus noster cibus siue panis, siue lactuca &c. suis carebit puluisculis: ita exsatiatus saepe homo multum pulueris, vt vel sentiat, deglutire cogitur. Esset (β) etiam leuissima, dum, quod ante lapsum serpenti fuit proprium, vt scilicet repereret, & hac ratione aliquid pulueris lamberet, poenae loco post lapsum sentire debuit. Quot item (γ) vernium aliorum dantur species, quae aut in ipsa terra viuunt, & vel sola terra vescuntur, aut super terra plus puluere & terra delectantur, quam serpentes, cupediis aliis dedit? Ut ita horum respectu poena itidem sit nulla, & maledictio. Cum hac tamen sententia facere non videtur B. FRISCHMVTHVS, vtut tribuatur ei a Cl. M. ORTLOBIO l. c. p. 24. Credit potius III. non demum post lapsum puluere vesci copiale serpentem: cum ante lapsum humi quoque repserit. Subjicit tandem, cum alias puluerem lingere Scripturae phras extrema abjectio & opprobrium notetur, vt Jes. XLIX. 23. Ps. LXXXII. 9. fieri potuit, vt DEus serpentem naturalem, scilicet ut maledictum, tam abjecta quoque phrasi notare voluerit, vt tamen sic nihil in serpentis natura fuerit immutatum. Improprie ergo haec de ipso naturali serpente exponere videtur, quia proprie non quadrare vidit. Quid vero obstaret, quo minus DEum istiusmodi phrasibus abjectis ipsum Satanam insigniuisse, dici possit, de quo commodius haec phrasis, & in Scripura S. passim adhiberi solet, vti suo loco dicemus pluribus. Imprimis, cum nec proprie nec improprie ista praedicata in serpentem naturalem quadrare probari possit. Omnia itaque, que haetenus fusius allata sunt, vtut aliquam probandi speciem videbantur habere, fundamento tamen lubrico, quantum vidimus, superstructa, nondum satis probant, serpentem, cuius Moses in historia sua meminit, fu-

iste verum, naturalem & a Diabolo ἐνεγγένευον. Plura quae
objici solent, v. g. ab antipathia homines inter & serpen-
tes intercedente &c. prout GROTIUS, CLERICVS aliisque
eandem urgent, ita comparata sunt, vt ex haec tenus di-
ctis facili negotio dilui possint. Magni enim momenti non
sunt, poteritque videri M. ORTLOBIUS Disp. cit. Sect. II.
§. IV. & IX. aliique plures.

§. XI. Antequam ad Sectionem tertiam transitus fiat,
res ipsa postulare videtur, vt subjiciantur adhuc quaepi-
am de vario Interpretum Sect. I. §. VII. exposito dissensu su-
per v. 14. & 15. non quod multis circa ea (praesertim quo-
dā priorum expositiones) haerere animus sit, quia maxi-
mam partem per allata ruunt, ab aliis etiam dudum explo-
fa. Si primam CALVINI nec non CLERICI opinionem
praeter HVNNIVM, HELVICVM & SEB. SCHMIDIVM
refutabant ea, quibus haec tenus probatum dedimus, nullam
vocem nullamque phrasin literaliter & proprie de serpente
naturali verificari posse, deque seductore principali Dia-
bolo, eoque solo, licet improprius, exponi debere. Ad re-
tundendam secundam, qua & serpenti & Diabolo literaliter
tribuunt omnia CORNELIUS a LAPIDE &c. confer, quae
circa istiusmodi interpretandi rationem de vno sensu li-
terali monet GLASSIVS in *Philologia Sacra* & PFEIFFERVS
in *Hermeneutica Sacra*. Singularem ANTONII GREGVTI
sententiam, qui nefcio quo dilapsus, triplicem verborum
sensum facere non erubuit, examinatam deprehendes apud
B. CALOVIVM in *Bibl. Illusfr. p. 243.* Tertia, eaque communi-
nior, haec tenus discussa est a §. VI-X. huj. Sect. Quarta B. AEGI-
DII HVNNII nondum ostendit euidenter, quod necessarium sit,
simil organo versum, i. 4. applicare, quam nos applicationem
difficilem satis haec tenus reddidimus. Alias admitti ea posset,
quia nostrae in caeteris est similis. Quinta B. SEB. SCHMI-
DII quoad hos duos versus suam apud nos laudem meretur:
quamquam hac ratione exiguum admodum pro serpente na-
turali defendendo fortalitium ei, nec non B. WINCKLERO

fit

fit reliquum. Tolle enim praedicata serpentis, & ipsum serpentem tolles, verbaque vers. i. eam vim probandinon habebunt, vti haec tenus vidimus, quam quidem sibi Celeberri- ni hi viri *vix* *et* *circulos* persuaferant. Sextam tandem, doctissimo TAPPENIO propriam & nouam, quam tamen PARAEON quoque tribuit CALOVIVS com. p. 394. paulo fusiis spece- mus, quae quoad versum 14. cum B. Hunnii fere conuenit. Magnam caeteroquin lucem nostrae sententiae foeneratur Celeberrimus Vir, quando Diabolum praecepue per serpentem in versu 14. indigitari, argumentis quamplurimis euictum dedit. Dummodo, cum nulla sit causa ad serpentem naturalem sensu inaequato simul exhibendum adreptus non fuisset. Cum vero iisdem in sensu huc cum communiori pro serpente naturali argumentis vratur defumtis, a priuione pedum, quae, ob facinoris atrocitatem, diuinae justitiae rigorem, ejusque bonitatem erga genus humanum, serpenti illi poenae loco contigerit: Hinc quoque innumera illa dubia, haec tenus a nobis sententiae isti objecta, eum aequo ac quoquis serpentis naturalis defensores alios premunt. Quae tamen virum Celeberrium latere non poterant, vtpote a viro Doctissimo B. HOS- MANNO, cuius non semel mentionem fecit, erudite & prolixe mota, quae examine, discussione & refutatione opus habeant. Ea vero omnia, haud iisdem immoratu- rus, vti §. LXVIII. p. 51. inquit, silentio praeterit. Cum simplicior sit explicandi ratio, quando vnius rei in verbis iisdem vnicus docetur respectus, quem B. HOSMANNVS, non duplex, quem Cel. D. TAPPENIVS exhibet. Ita quoque non video, ea a Cel. Viro allata argumentorum ponde- ra, quae nobis persuadeant, serpentem naturalem neque in verbo 15. excludendum. Rationes enim quas doctissimus Auctor §. LXVIII. & LXIX. profert, partim nos non feriunt, partim ex adhuc dicendis ruent. Nos non feriunt v. g. quando quis crebet, inquit, DEum versu hoc. 15. sermonem ex abrupto a serpente ad Satanam solum deflexisse &c. Ad haec respondeant, qui adeo tenaces sunt hujus animalis defensores. Se- cun-

cundum nostram enim sententiam, si vtrumque Satanae applicueris, magis prono alueo & longe commodius omnia fluent, quam secundum eam, qua ad duas res simul conceptus est dirigendus. Ut vero fateatur, hanc suam explicationem circa versum 15. vocum emphasis non exhaustire: mihi tamen vniuersa ejus hypothesis non confistere videtur. Quia probari satis non potest, vnius dicti sensum esse & adaequatum & inadaequatum, licet de sublimioribus alibi a viris *θεοπνέουσις* exponatur. Ad minimum ea loca. quibus id ipsum maxime probari posse existimat, adeo lucientia non sunt, vt euidenter hoc euincant. *Primus* est *Deut. XXV. 4. coll. 1. Cor. IX. 9.* *Non obturabis os bouis, dum trigrat*, cuius dicti sensum inadaequatum, immediatum, secundarium & proximum esse fatetur: Ne Israelitae bouis os fiscella coēcerent, quo minus subinde aliquid frugum eo ipso exciperet. Durius vero loquitur, Paulum Corinthios docere, *quod indignus omnino sit sensus hic diuina maiestate, & longe infra tanti legislatoris diuinaeque legis gravitatem, si quis in eo solo subsisteret velit.* Cur vero in eodem ceu proprio ac immediato apud Mosen non subsisteremus? Cum Paulus in loco ad Corinthios adducto argumentetur tantum per consequentiam bonam & legitimam, concludendo a minori ad majus, non vero aliud insinuet sensum illi superinducendum. Scilicet res eo recidit, non satis bene explicuisse Cel. Auctorem dictum illud Paulinum, acsi propositio: *Num boues curae sunt Deo?* sit negativa, atque hac negatione sublimiorem adhuc primarium & adaequatum verbis *Deut. XXV. 4.* sensum inesse Deus indicauerit. Cum istiusmodi interrogatio fortius quandoque affirmet, cuius infinita exempla praeter *Luc. XXII. 48. Job. IV. 29. coll. 42.* dabit NOLDIVS in *Concord. Partic. Hebr.* ut validum Theologi nostre contra Deistas, minima sub DEI prouidentiam cadere negantes, argumentum inde desumserint, & Paulus rectissime concludat: Si DEO curae sunt boues, quorum os fiscella coērcere noluit, multo magis verbi diuini Ministri DEO curae cordique sunt. Ita nullus sensus adaequatius

quatus & inadaequatus, primarius & secundarius; sed sola vnius ex altero illatio, locum obtinet. Sic notabile, quod cum hoc fere conuenit, exemplum est *Num. XIV. 21. 22. seqq.* collatis *Pf. XCV. v. vlt & Ebr. III. 3.* vbi impertinenter admodum dices, sensu secundario & inadaequato Mosen intelligere terram Canaan proprie ita dictam; simul tamen etiam, adaequate & primario, Canaan coelestem. Quin potius in illo *Num. XIV.* manet sensus primarius & adaequatus, itemque in his *Psal. XCV.* & *Ebr. III.* sed per legitimam consequentiam ex illo deductus, quando scilicet a minori ad maius ita infertur: Si DEus iratus ne illos quidem, qui eum tentauerant toties, terram Canaan videre voluit; multo minus Canaan coelestem ingressuri sunt, qui Christo non obsequuntur, nec religiose eum adorant. Vti B. SEBAST. SCHMIDIUS in *Com. ad Ebr. I. c.* pluribus haec confirmat. Ita quoque inter exstantiora ille locus est, quo Christus *Mattb. XXII.* Saducaeos de resurrectione mortuorum convincit; licet non eodem modo, quo haec tenus, sit ab ipso facta consequentia. Secundus, quo probet assertum, locus ille difficillimus est, qui nimium quantum Interpretes torcit: nec tamen ita sepe expediuere haec tenus, quin variae adhuc difficultates emanferint. Exstat ille 2. *Sam. VII. 13. 14.* 1. *Chron. XVII. 12. 13. col. Ebr. I. 5.* ac vulgo quidem existimant 1. *Chron. XXII. 10.* 1. *Chron. XXVIII. 6.* Evidem hac sua hypothesi & distinctione illasiri sublatum credit Celeberr. TAPPENIVS. Dubito vero, an ita firmus satis fuerit, argumenti Paulini neruus, quo Christi diuinitas erat probanda, si ex solo sensu inadaequato verborum, qua de Christo adaequate accipienda videntur, Paulus fuisse argumentatus. Vix hoc sufficeret Ebrait: apud quos, ne quid exciperent, solidioribus opus erat argumentis in re praesertim tam ardua. Ut vero raseam de aliorum sententiis, quibus ad hanc difficultatem solent respondere; saltem quid nobis videatur, paucis subiecte liceat; Quatuor scilicet V. T. loca adducta haud sunt confundenda, sed inter se inuicem collata,

H

duo

duo priora 2. Sam. VII. & 1. Chron. XVII. vt parallela de Christo, duo posteriora 1 Chron. XXII. & 1. Chron. XXVIII. vt parallela de Salomone exponenda esse credimus, non, quod sit diversa historiae reuelatio, & sic ipsa historia diuersa: sed quod vnius historiae sint diuersae circumstantiae; quae coniunctim sumtae, vnam historiam compleant. Ut in Harmonia Euangelistarum fieri solet, quando ex Evangelistis omnibus ita res coagimentantur & circumstantiae coordinantur, vt vna fiat historia. Scilicet Dauidi est duplex facta promissio (α) de Salomone filio Dauidis proprio, quem DEVS, vt filium suum impropre sic dictum, in regno confirmare voluerit 1. Chron. XXII. & XXVIII. Imo, vel plus se Dauidi daturum (β) promittit; filium scilicet ex semine suo, qui sit Dauidis filius proprie quoad humanam natu- ram, & Dei filius proprie dictus quoad utramque naturam, diuinam videlicet essentialiter ac per se, humanam vero personaliter & ex vnionis gratia, quo tendit tota oratio Paulina Hebr. I. id quod 2. Sam. VII. & 1. Chron XVII. habetur. Ut ita Paulus ex proprietate literae posteriorum locorum recte & solide argumentetur ita: Quicunque filius DEI proprie dicitur in Scriptura Sacra, & cuius se Patrem proprie vocat DEVS; ille est verus DEVS. Atqui Christus &c. Ergo. Ita enim saepe Paulus argumentari consuevit, v. g. Gal. III. 16. docet, vocem semen de semine monadico Christo esse exponendum: cum alibi passim sit nomen collectuum. Sed cur pluribus huic loco explicando nunc non immorer, in causa est vitanda nimia prolixitas. Exereuit enim iamdum ultra definitum paginarum numerum hicce labor. Quae vero ad uberiorum sententiae jam allatae illustrationem deesse videbuntur, illa propediem sub Praefidiis mei manuductione aliis commilitonum data opera persequetur, facemque difficultariae accendere allaborabit.

SECTIO.

(59) 59 (59)

SECTIO III.

SENTENTIAM VEROREM CONFIRMANS.

§. I.

Duo, priusquam sententiae nostrae probationes ordinamur, praemittenda existimo, ne fraudi sint benevolo lectori, quae ab aliis, diuersum hic sentientibus, moueri objicique solent. *Primum* est: Hanc nostram, supra *Sect. I. §. VIII.* traditam expositionem de *Serpente Seductore*, non esse cum BALTHASARIS BEKKERI sententia confundendam, ac^t cum ea prorsus conueniat. Ipsius enim *Sect. II. §. VI.* nostra refutatione eandem fuimus detestati. Ut vtriusque collatio eo facilius institui possit. Injuriam proinde facit Cel. D. TAPPENIVS in *disp. laud. p. 10.* quando post aliquot recensitos nostrae sententiae Fautores, tandem subne^ctit: *Nos non immerito hoc referimus Balthasarem Bekkerum, monstrosum virum ingenii, quem & p. 51.B. SEB. SCHMIDIO & B. HOSMAN* O quoad praeiens negotium adsociat. Apage vero socium hunc monstrosum a viris istis, quibus cum, nobis post fata venerandis, ille minime comparandus est! Cujus item sententia (α) in modi determinatione ab horum est diuersa, nullam enim dicit Bekkerus a nobis concipi posse rationem, qua seduxerit Satan protoplastos, vnde eam, quam textus suppeditat, quoquis modo detorquet & removere conatur. Nos ex aduerso admittimus sufficientem & haud ineptam, dicentes sub serpantis larua Satanam non modo potuisse, sed & reuera absoluisse suum propositum. (β) Bekkerus ipse diffiteri non potest, ita se suam propugnare hypothesisin, vt varia N. T. loca v. g. *Matth. IV. Jud. versu 9. 2. Cor. XII. 7.* dubia & incerta reddat. Quae ut sta-

bilitat, sibi haud incumbere putat, weil es ihm, uti §. I. inquit: gleich viel ist, was für Verstand die Dörter haben, wenn man nur genugsam beweisen kan, daß die Macht oder Kraft des Teuffels, auf das Gemüth des Menschen zu würcken, daraus nicht erweislich, item §. 24. vbi vero ipsa inspectio edocet, quam misere contorserit ista loca. Nos autem pudet, modo istiusmodi nefando tractare sacras literas, quas majori reuerentia exosculari, euoluerre, conciliare, in succum denique & sanguinem vertere bono cum DEO, pro ingenii nostri modulo, studebitus. Cumque (γ) illud suum principium semper respiciat, & accommodet locis non solum adductis, sed & quibusvis aliis, quae addi possent, nos vero ab eo sumus alienissimi: Hinc fieri non potest, quin istiusmodi locorum ad hanc materiam detorsio a nobis sit etiam alienissima; & eatenus magna inter nostram & Bekkeri sententiam differentia. Secundum est: Ita comparatam esse nostram sententiam, ut commode de ea in utramque partem disputari & hinc quisque suo abundare judicio possit, quamdui lapsus veritatem & Prot-Euangelii vim & efficaciam non impugnet. Eam vero nostrum institutum maxime corroborabit: imo, vel majus hac ratione argumentis pondus addi, quisque videbit. Si enim omnes soli Satanae actiones adscripturis, ut tamen absit textus tortura, & Socinianis aequa ac Iudaicis eripies illud, quo alias maximum illud primis parentibus de recuperanda salute datum solamen prorsus eneruare laborarunt. Cum itaque de istiusmodi rebus animi sui sensa exponere cuius integrum sit; nunc rationibus aliquot, serpentem seductorem non naturalem fuisse, sed solum Diabolum: sub serpentis tamen forma, prorsus uti 1 Sam. XXVIII, sub Samuelis larua, illum latitasse, probabimus, seriem simul textus obseruaturi.

§. II Probamus (1.) Ex calliditate, qua serpens callidus praec animalibus agri fuisse dicitur. Id quod optimo jure de Satana dici poterit: cuius insultus vafricie & astutia plenos repellere nos monet Paulus Epb.

VI. 11. seq. Quales si vñquam, certe quos passi sunt protoplasti, tales fuisse deprehendimus. Euam enim, non Adamum, primum aggreditur: eo quod haec non tam immediate, quam mediate interdictum illud de non edendo arboris veritae fructu a DEO acceperat; atque sic facilius illud penes Euam, quam penes Adamum in dñbium vocari posse creditit. Ideo etiam mulierem primula tentat, ne viro licet prius seducto, eadem de arbore prohibita accipere renueret, causata, viro, cui ipsa sit subiecta, majorem posse eminentiam contingere, cuius ipsa forte participes fieri nequeat. Cum ex aduerso Adamum nonsine insigni veritatis specie ita conclusurum arbitraretur: & vxor ex esu fructus DEO similis futura est; dubium non est, cur non & ego, maritus & Dominus vxori datus 1. Cor. XI. 2. 9. eminentior futurus conjugi, eandem cum DEO conformatatem affectem. Addunt alii: Euam ideo aggressum esse serpentem p[re] viro, quia Eua infirmior, prudentiaque inferior fuerit Adamo, quod probe perspectum habuerit primus hic homicida. Sed haec nos relinquimus auctoribus suis defendenda, qui non assequimur, quomodo illa cum concreata sapientia & iustitia consistere possint, quum Scriptura utriusque Adamo & Euae, vnam eandemque imaginem Dei adscribat Gen. I. 26. 27. cernimus etiam hodieque, mulieres subinde viris prudenti naturali superiores. Repudiant ideo allatam rationem B. CALOVIVS com. spec. in Gen. p. 349. & SEBAST. SCHMIDIVS ad v. 1. Porro non persuaderet, obseruante TAPPENIO p. 23. directum homicidium, mendacium & blasphemiam, quae cum naturali lege manifesto pugnantia facilius declinare potuisset Eua, fraudemque detegere. Ipsum potius esum fructus, vt rem levissimam, sicut, ejusque prohibitionem ne directe quidem impugnat, sed per cuniculos quasi captiose illam ex mente euellit, dubiamque satis hac ratione reddit auscultanti. Quae omnia in serpentem naturalem non quadrant, quin potius minus vulgarem, & ex ipsis animalibus terrae illum haud fuis-

fuisse testantur, licet per comparationem impropriam cum
 iisdem conferatur. Si enin callidior fuit omnibus anima-
 libus, callidior etiam omnibus serpentibus aliis fuerit, ne-
 cessum est, & si animal fuisse hac ipsa locutione indicare-
 tur, potius inter reptilia, a pecoribus terrae distincta, fuis-
 set referendus. Comparatur vero serpens Diabolus cum
 bestiis agri, & non cum homine, quia haec in ipso calli-
 ditas non virtutis, sed vitii plena, atque sic vituperio ma-
 gis quam laude digna fuit, quae vero de homine, tum tem-
 poris adhuc integro, praesumti, atque sic comparatio cum
 ipso inservi non potuit; Nec cum reptilibus reliquis in sua
 airtutis comparatur hic serpens, quibus tamen animumeran-
 dus videri poterat, quia post hominem praestantiora his
 in:er animantia exstabant, scilicet quadrupedia agri, cum
 quibus illum comparat Spiritus Sanctus, non, acsi aliquam
 etiam abominandae istius astutiae partem, vtvt minorem,
 haberent, cujus respectu serpens callidior esset: Sed vt so-
 lummodo aliqua nobis esset nota, quae nos moneret, ne
 serpentem hunc naturalem & proprie tales crederemus,
 sed solum Diabolum vere callidum & animalis larua indu-
 tum, quales passim in textu latent notae, quae, si eru-
 amus, ostendunt de quo subjecto, num nude & crude,
 proprie aut improprie sumiendo, sit sermo. Vnde JOH. CLE-
 RICO ad h. l. fol. 28. quaerenti: *Quid mirum, si Cacodaemon bestiis*
callidior sit? Resp. nullam bestiis, sed soli Diabolo calliditatem
 tribui, hunc enim vere & proprie callidum non negaueris,
 nec ea calliditas, qua serpentes in puluere aut in herbis latentes a-
 nimalium praeter euntium calcis morsu adpetant, sufficiet ad infe-
 rendum naturalem, quem tanto conatu defendit, proprii in-
 stituti plane immemor. Non enim serpentibus solis, sed &
 aliis animalibus ea praedandi & nocendi cupidio ineft; de-
 que ea hic loci sermo est, quae ad seducendum hominem, &
 ad persuadendum ei, dignitatem & Elohim hac ratione iri
 obtentum, erat sufficiens, uti monitum est supra S. II.
 §. VI.

S. III.

§. III. Probamus (2) ex loquela, qua verba ad Euam fecisse dicitur ille serpens, quae ex illa calliditate cum ratione conjuncta fuderit necessum est. Quia alias persuadere non potuisset, fore Euam sicut Elohim, quod tamen factum, non Eua tantum perhibet *vers.* 13. sed ipse etiam Deus confirmat *vers.* 14. Ita vero, veluti boni disputatores solent, ordinem disputandi obseruat, ut prius statum controuersiae rei ventilanda formaret, eamque in dubium vocando conclusionem contrariam eliceret, & per inuestigationem vim argumenti eluderet; Quae a serpente naturali profecta esse nemo sibi persuaserit. Objicies: Nonnum excludi naturalem, quia per eum Satanus loqui potuit, veluti per oracula & statuas olim solebat, vid. WINCKLERVM p. 16. Resp. Certo protulisse eum hoc modo verba, ex textu nunquam probabitur, potuisse vero, nullum est dubium. Potuisse etiam sub specie serpentis ficta, docet nos Samuelis personati exemplum 1. Sam. XXVIII. itemque Satanae Christum tentantis Matth. IV. Solent quidem ii, qui ex ipsis serpentis lingua, Satana rectore, verba facta credunt, reponere, nihil absurdum esse animal aliquod loqui, quia loquutum legamus asinam Bileami. Verum, impertinenter haec asinae cum serpentis historia confertur, quia de serpente hoc probatum nondum est, an naturalis fuerit, illam vero animal fuisse non est dubium. Praeterea ille, si naturalis fuisset, potuisset utique verba proferre aequa ac asina, sed virtute DEI, non Diaboli, ad candide nos informandum, non ad fallendum. Asinae a DEO concessa loquendi facultas in textu habetur expressa, qualis autem hic non est. Neque vero modus dicendi inusitatus est, dum serpentis nomine alius intelligitur, qui sub eo apparuit, atque dicitur: *serpens fuit locutus*; hoc enim non semper etiam in re ardua & difficile indicare solet Spiritus Sanctus, vti haec quidem objicit Celeber. GRAPIVS disp. cit. Sect. III. §. III. Simillimum exemplum est illud. 1. Sam. XXVIII ubi sub Samuelis larua Diabolus Sauli apparuisse plerique inter-

terpretum largiuntur, ac res ipsa loquitur. Strehue enim & splendide non semel ibidem (vid. vel *solos v. 15. 19.*) est mentitus, quod de vero Samuele Propheta nemo assertet. Cumque DEVS Sauli negasset responsum per prophetas viuos vers. 6. & 15. quis crederet, responsorum fuisse eidem per defunctos? quos, nec consulerent, Israelitis expressa lege interdixerat Iudei *XVIII. 11. 12. 14. coll. Ies. VIII. 19.* Et an verus Samuel sagam malis artibus deditam, Deoque abominabilem, non objurgatus fuisset? Quae hie excipit, eandem cum *Sirac. XLVI. 13.* sententiam defensurus JOSEPHUS GLANVIL *Sadducism triumph. Part II. p. 165. seqq.* edit. *Graec.* quoquis tituilitio viliora sunt, pariter ac septem eiusdem ratiunculae ibidem p. 159. seq. pro eadem conquisitae. Aliquoties tamen v. g. v. 15. 16. reperi solet phrasis: *Samuel dixit ad Saulem*, nulla prorsus per totum caput Diaboli facta mentione. Plane vt hoc loco serpens legitur dixisse ad mulierem, nulla daemonis diferta mentione subiecta, quem tamen indicis manifestissimis prodit scriptor sacer hoc loco non minus, quam ibi. Ut ita ad argumentum DR. D. GRAPPI *Seft. III §. I.* quando *quemcumque* inquit, *serpentem Eua naturaliter vidit* & *audiuit*, ille quoque fuit naturalis proprieque sic dictus, *Atqui, Te.* Ergo, facile pro neganda maiore haec possit dari instantia, quia ouum ouo non poterit esse magis simile. Excipit BOCHARTVS in *Orientalibus col. 836.* haec quidem in potestate Satanae esse, idque in adducta Samuels personati historia ita fese habere, non tamen potuisse eum parentibus primis istiusmodi glaucoma objicere, *quorum oculi & intellectus nostris fuere acutiores, & nulla inter nos & illos instituenda comparatio.* Verum Resp. dum quoad Intellectum luce spirituali insignes, & quoad voluntatem sancti fuerint, cur non potius ipsam seductionem & reliqua Satanae verba sesquipedalia, hoc est, concatenate mendacia obseruarunt? quae obseruare vel maxime potuissent. Imo, vel ipsa Bocharti verba dabunt objectioni suae responsonem. *Quando enim quaestionem illam*

illam expedit, cur mulier non stupuerit, dum serpentem videret humanas voces edentem, & fraudem continuo non deprehenderit, serpentemque, ex alterius impulsu linguam ejus flectentis, loqui non intellexerit? Tum primo quidem respondet, quod si probabile, mulieri recens creatae non satis fuisse perspectum, inter animalia hominem solum ratione esse donatum: aut, quod nobis verisimilius dictum videtur & rectius, dum bujus perspicendi facultas ipsi a Deo sicut concessa, huius facile aliquatenus eam renunciasse, fallaci experimento, dum serpentem audit loquentem, in aduersum abreptam; aut denique in id unum fuisse intentam, ut animalis hujus verba exploraret, eo neglecto, an ex seipso loqueretur, an veronon. Haec vero ita comparata sunt, ut ad quaesitum Bocharti ex nostra quoque sententia accommodari facile possint, scilicet renunciasse eam aliquatenus facultati concessae: qua, num verus aut fictitious serpens, oculis suis sifferetur, examinare potuisse, si non neglexisset. Caeterum, ad quaestionem hanc Bocharti, cum hunc spectet, vterius diducendam facient, quae *Sect. II. §. IX.* in secundo sententiarum, quas ibi expendimus, diuortio, circa finem fueru monita.

§. IV. Ipsam sermonis, ejusque iterati, propositionem quod attinet, solent Interpretes de phrasl, quam in prima aggragatione legimus: אָפַר כִּי אֲמֹר אלְהִים non nihil disputare. Sunt enim qui textus corruptionem hic admittunt: in eo alias quoque faciles. Vti RICHARDVS SIMONIVS, Criticus ille Gallorum celebris, in *Hist. Critic. V. T. Lib. I. C. V. p. 37.* versionis Latinae de VERSE, eandem admittit. Quem tamen confutat JOHANN. MEYER in *Seder Olam dissertat. prael. II. §. XLVIII. p. 180.* Alii assuerationem quandam his verbis contineri putant, unde vertunt: *Certe, profecto, Deus dixit.* Haec vero non est vocis istius אָפַר כִּי אֲמֹר significatio; sed si aduerbialiter sumas, significat alias *quanto magis*, alias *quanto minus*. Neutrum tamen quadrare videtur. Posterior enim tanquam vox dubitantis, licet plenisque arrideat, non parit sensum commodum. Quia dicitur

citur, ne ab illa arbore comedant. Conuenientius forte
textui & accentibus verretur, si Ιη nominaliter acceperis,
Ira est, quod dixit Deus, & sic commodius subnegetatur:
ni edatis ab illa arbore. Ut ut vero explicandi ratio cum
ea conueniat, qua ad versum 5, creditur, Satanam persuasisse Euae, DEum fraudulenter cum ipsis agere & statum
hunc felicem inuidere, quam D. TAPPENIUS disp. cit
§. XXXIV. p. 25, nunquam se concoquere potuisse fatetur.
Quia fidem in his adhibere tentatori, esset *infantilis ruditas*,
non cogitatio hominum ad imaginem Dei creatorum. At vero haud
minus infantilis ruditas alicui videri posset, quod in altera
aggressione perspicuis & splendidis ipsis mendaciis, primo:
non moriemini. Secundo: *aperientur oculi vestri.* Tertio: *Eritis*
sicut Deus. Quarto: *scientes bonum & malum.* Quinto: *no-*
nit hoc Deus, (quae verbis breuissimis, fatente p. c. TAPPE-
NIO, v. 4. & 5. accumulat) aures porrexit patulas & vacua-
nas. His enim cur non praelusisse etiam, cum primum E-
uam aggrederetur, dices? verbis: *Ira est, quod dixit Te.* vt
nimirum primo hoc mendacio, aut si jam tacta connume-
res, sexto, in colloquium pelliceret vxorem, facilius deinde
seducendam; certe enim majus est blasphemiae vitium,
quod expressit Satanus, quam inuidiae, si scorsim spectes;
licet hanc, si DEO tribuerit, illa includat. Potuit itaque
Satanus, cum masculine in initii fesa opponeret Eua, secun-
da vice sub aliis verbis (quae sunt in versu 5.) iisque ex-
plicatus, atque sic, vt Euae exceptionem simul eluderet,
eandem rem, inuidiam scilicet, denuo insurpare. Dum,
quae primo de cunctis impudenter assuerat arboribus,
nunc speciatim ad solam, vt ipse fraudulenter appellarat,
scientiae arborem applicat, assertioni suae vel ex illa sola
fidem facturus. Elucescere vel ex hoc fructu interdictio
indignitatem DEI atque erga homines inuidiam, quod
prohibuerit iisdem arborem tam amoenam, tamque utilem
& ad augendam cognitionem necessariam, vt jure arbo-
rem scientiae dices, cuius etiam nomen ideo Deus pro-
topla-

toplastos voluerit latere. Porro sunt interpretum alii, qui in responsione Euae ad primam tentationem duo jam existare putant vitia, quibus ea in DEum fuerit injuria, coepitque deficere a congenita cum veritate tum sanctitate, quum fortiter hos veteratoris impetus sustinere, nec quamquam iisdem cedere debuisset, (a) dicunt additamentum, quod ne tangere quidem debeat, (b) detractionem, ne forte moriamini. Atque his vere peccasse, nec tum amplius in statu integratis fuisse absolute constitutam, sed peccati sementem fomitis instar interne conceptum per geminam hanc falsationem externe satis superque prodiisse statuunt, vid. GEORG. KOENIGIVS in *Vind. Sacr. cent. II.* Loc. III. §. V. Rectius vero SEB. SCHMIDIVS in *Comment. ad b. I.* haec tenus eandem ab his absoluta. Non enim de tactu qualicunque, sed ad esum restricto, plane ut *Col. II.* 21, ipso sermone; atque particulam ~~et~~ non semper dubitatiuam, sed negatiuam quoque aliquando (v. g. *Prov. XXIV. v. 18. Mal. III. 24.*) esse, egregie docet. Cui consentit TAPPENIVS §. XXXII. p. 24. His dictis, quamquam ille DEI calumniator nihil aliud lucratus esset, quam ut Eua in colloquium descendenter, & ictum ejus primum fortiter repelleret. Non tamen destitit impudentissime calumnias repetere, iisque ceruissam obducere, quando Majestati diuinae detrahendo sublimiorem honoris gradum, virtueque libertatem ex esu hujus fructus pollicetur. Illudit quasi Dei, comminationi, & protoplastorum credulitatem miratur, quod illi fuerint assentiti. Cum minime futurum sit, vt ideo moriantur. Non enim esse sine causa factum, quare hac ipsis DEus interdixerit; eamque ex inuidia forte celare ipsos voluerit, quam sibi notam, nunc sit manifestaturus ipsis. Multis verba קְרַב אֶל־הָעֵדָה sunt formula jurandi, quia DEum testetur Satanus, ita sese habere, quae sit dicturus. Vei HERMANNVS WITSIVS in *Oecon. Foed. Lib. I.* Cap. VIII. p. 101. 120. &, quem allegat Tappenius, SIBERS-MA Schre der Wahrheit p. 89. exponunt, nec abnuit SEB.

SCHMIDIVS ad vers. 5. Vix tamen locum ea hic inueniet.
 DEO enim similes facturus protoplastos, de Majestate
 ipsius & veracitate multa dicere haud debuit: ne reti suo
 proximi ad meliora redirent. Hinc potius paulo ante men-
 daci & inuidiae DEum Sanctissimum accusauerat: ut vel
 ex solo vers. 16. Cap. II. coll. vers. I. Cap. III. videre est. Quem
 ideo testem integrum & sincerum vocare non potuit, quia
 testi veritas inesse debet. Quare primus ille mendax &
 omnis mendacii Pater Job. VIII. 44. clam quasi & priua-
 tum aperire voluit parentibus primis, aliter sentire DEum,
 quam verbis expressisset. *Nouit enim Deus, inquit, quod*
ipso die, quando comederitis de arbore, oculi vestri aperientur, eri-
tisque scit Deus, scientes bonum & malum. Hoc est, ex pro-
 prio arbitrio viuetis, & nulli legi subjecti, ipsi tam certo
 & vere sciatis, quid facere, quidque omittere debeatis, quam
 DEUS scit. Vult equidem JOH. CLERICVS ad h. l. per
~~אֱלֹהִים~~ hic rectius intelligi angelos, quam DEV. Quia
 2. Sam. XIV. 17. 20. & alibi passim similis de his sit loquendi
 ratio: quam LVD. CAPELLVS in *Notis Criticis* ad h. l. quae
 exstant Tom. Opp. posth. *utriusque Capelli f. 398.* obseruet. Obstat
 vero huic sententiae, quod propriam vocis ~~אֱלֹהִים~~ signifi-
 cationem sine vlla, sive ex verbis, sive ex contextu de-
 promta ratione deserat; nisi quod opinentur, qui ita sen-
 tiunt, Diabolum non adeo impudentem fuisse, ut primis
 hominibus polliceretur quandam cum DEO conformitatem,
 qui tamen nefandae sua impudentiae non minus obscura-
 hic edidit specimina, quam fecit in Tentatione Christi ac
 alibi. Vrgerent quoque alii ipsum Dei effatum, quando
ecce, inquit, vers. 22. Adam factus es, sicut unus ex nobis, inde
 colligentes, verisimilius esse, similitudinem cum DEO Sa-
 tanam persuasisse, Euamque juxta ac Adamum sperasse.
 Quod si velles, commodius forte *רְאֵת* transferres: *effe*
woluit, sicut unus ex nobis. Ut ne sarcasmum adeo durum
 DEO jam reconciliato vers. 15. tribueres. Fateor tamen mihi
 magis placere interpretationem horum verborum, quam

SEB.

SEB. SCHMIDIVS tract. de Imag. diuin. suppeditat: Ecce Adam fuit, sed fuit eheu! amplius vero non est, scit uis ex nobis, cognoscendo bonum & malum, & tamen passus est se a Diabolo seduci, vt ab arbore vetita, fraudulenter scientiae per Daemonem appellata, sub spe majoris cognitionis decerperet: Nunc ergo, ne posteaquam concepit intra animum semen peccati prauum, adeoque facilius astu Sathanae circumueniri posset; ne inquam persuasus se contra comminationem meam viciatur, arriperet etiam ejusdem instinctu ab arbore vitae, cui & hoc nomen idem mendacii pater, vt nominis sui mensuram impleret, indidit, sicque mei jam ipsi reconciliati iram prouocat denuo, ejiciamus illum ex horto, occasione tam grauiter peccandi praestructuri.

§. V. Probamus nunc (3.) assertum nostrum ex eo, quod serpens hic in judicium vocari, eique, ceu creature rationali, delictum a DEO exprobrari, sententiaque publicata, maledictio ipsa infligi potuerit. Quippe in quam solum quadrat: quia fecisti hoc, maledictus sis p[ro]e omni jumento, & p[ro]e omni bestia agri. Nam eodem hunc serpentem modo alloquitur DEus vers. 14. quo vers. 16. 17. Adamum & Euam, pariter proin ratione gaudeat oportet, ac hi. Quae omnia vix quisquam de serpente naturali asserere audebit. Vide monita jam Sect. II. §. IX. ob quae nos hic breuiores esse possumus.

§. VI. Probamus (4) ex maledictionis in genere spectatae, grauitate, qua serpens hic deprimitur infra omnes bestias & feras agri. Vbi וְהַשְׁרָה כְּמֹתָה & רִוִתָה, quam volucribus, reptilibus & aquatilibus non opponitur, eadem sub se comprehendere, & generalis vocum in Scriptura v[er]sus, & res ipsa exigere videtur. Cum non evadat credibile, serpentera seductionis organon plus damni, ad Dei contra cundem iram inde cognoscendam, expertum haud esse, quam sentiunt reptilia a DEO nunquam maledictioni subjecta. Certum etiam est, & ex re ipsa apparet, multa

dari animalia serpentibus nocentiora, hominique magis infensa, & hinc magis abjecta. Saltem non liquet, & vix a quoquam explicabitur, qua in re major consistat serpenti naturalis maledictio, vt omnium reliquorum animalium sit miserrimum, nedum vt jure lacertis aliisque reptilibus, quorum morsus est venenatus, deterior per haec a Deo factus credatur. His permotus CLERICVS, cum non inueniret, qui ex dubio se extricaret, mauult cum Vulgato interprete τὸν non comparatiue, sed cumulatiue, siue inclusiue accipere, reddereque per inter, hoc sensu: maledictus eris inter omnes pecudes, & omnes feras agri. Quem particulae significatum sustinet probare ex 1. Paral. XI. 21. 25. Sed ne sic quidem ex difficultate potest eluctari. Nam (α) infeliciter ipsam significationem particulae τοῦ, quam hic intendit, probasti ex loco, vbi τὸν p̄a longe est conuenientius, apparet ex totius contextus fedula collatione. Distribuuntur omnes in vniuersum heroes Dauidis triginta septem ratione fortitudinis suae bellicae tam in loco Paral. cit. quam 2. Sam. XXIII. 8. seq. in tres classes: prima erat fortissimorum trium, qui reliquis omnibus erant praestantiores, sc. laschobham ben Chachmoni, Eleasar & Schamma. Secunda classis erat duorum, qui & ipsi strenui erant bellatores, fortitudine tamen tres modo recensitos non assequebantur. Daudem vero consanguinitate propius attingebant tribus istis, quare & illis praeficiebantur. Erant vero Abisai & Benaja. Hos excipiebat quoad virtutis bellicae laudem tertia classis triginta horum, vt per numeri rotundationem recensentur, aut, si exacte numerare velis, triginta duorum, quine quidem cum duobus classis secundae, multo minus cum tribus classis primae paria faciebant. Sensus ergo vers. 21. loci Paral. est: (Abisai) p̄a tribus inter duos maxime erat honoratus, sivebatque iſtorum (trium) princeps, quamuis ad tres illos (quoad fortitudinem) non ascendebat, & τὸν 25. (Benaja) p̄a triginta ecco (&) hic eminebat, (iisdem praefectus) quamuis ad tres (maxime. virtutis) non perueniret.

Sed

Sed cum omnino alia suppetant loca, quibus iste significatus & possit stabiliri, illud tantopere non vrgebo. Hoc tamen (β) in primis officit explicationi, quam CLERICVS cum Vulgato interprete communem habet, quod, ea stante, & reliquae ferae, brataque cuncta, ob lapsum hominis serpentis opera promotum, senserint maledictionem diuinam. Quae vero, qualis, quantaue sit illa, quoue jure ad animalia omnia extendatur, etiam illa, quibuscum Satanae hominem seducenti nullum prouersus commercium fuerat, inexplicabile tam CLERICO erit, quam est omnibus aliis. Taceo (γ) quod ipse sibi, vt in toto hoc negotio, parum constare videatur. Vix enim orationis diuinae sententiam ita expresserat: *Nullum erit brutum, seu inter domestica, seu inter fera, quod magis homines borreant, dictisque abominentur,* & exitialiori prosequatur bello; quum tribus lineis interjectis pergit: *Ceterum e re ipsa apparet, serpentes non esse animalia omnium miserrima aut hominibus adeo inuisa, vt nulla alia aequo prosequantur odio: nam lacertae inter reptilia, & omnia quorum venenatus morsus est, aque ab hominibus male habentur.* Quae satis superque testantur, reperiisse Virum, quo etiam in hac translatione pedem figeret. Diabolo autem reuera contigit istiusmodi maledictio, dum ad *rogeraga* detrusus, & catenis ligatus asseruari dicitur in judicium plene planeque in eo exequendum. Certum enim est, majorem hac Satanae maledictione non dari. Ut si maxima maledictione jumenta & bestiae agri afficerentur; longe major adhuc sit illa Satanae. Nec quoad hoc momentum nobis aduersatur, qui jumenta haec & bestias agri improprie & allegorice volunt explicari, quamvis & ipsi non consentiant per omnia, JOH. CLERICVS allegorica, vt ipse vocat, commenta, eaque incerta & seuerioribus judiciis haud satisfactura, non neglecturus in *Comm. f. 34* cacodaemones reliquos, qui minorem sentiant poenam, quam seductor ipse, intelligi posse dicit. D. TAPPENIVS *disp. cit. p. 32.* conjicit, quod forte h.l. *per animantia terrae in sensu figurato, sed principali (non excluso)*

so tamen sensu proprio, licet minus principali; quam e-
jus hypothesin supra recensuimus) vel ipsi angeli boni, qui &
sub animantium specie Ezechieli apparuerunt; vel in genere creatu-
rae intelligentes, non exclusis hominibus, inter quos Satanus exter-
nae dignitatis locum retinuerat, & ex quorum ordine nunc ad in-
fimam classem erat relegandus, intelligi possunt! Eo etiam referen-
dus est CAMPEGIVS VITRINGA, qui in Ayacuchoe Apo-
cal. ad c. XII. 9. p. 728. seqq. scribit: Oportuit Historicum allegori-
cam hanc orationem ita instruere, ut inter illius partes aliqua es-
set analogia; ac proinde, si Diabolum appellare vellet serpentem,
res intelligentes alias ejusdem generis & naturae, quibuscum Diabe-
lum comparare voluit, non potuit non exhibere sub emblemate ani-
mantium agri. Similiaque exempla adducit ex Jud. IX. 8. 9. 10.
Jes. XL. 5. 6. 7. 8. Nullam tamen fatis grauem causam haec-
nus deprehendimus discedendi a literae proprietate, quum
juxta illam reuera Diabolus per hanc maledictionem mul-
to deterioris conditionis factus sit, quam jumenta & reli-
qua animantia terrae.

§. VII. Probamus (5) quia in Satanam, ipsa Scriptura
praeuia, primum maledictionis membrum egregie quadrat,
ejusque poenam *damni* non inconcinnę nobis sistit. Quam-
do dicitur de eo, quod super ventrem sit ingressurus. Vo-
cis יְהִי significatum supra vidimus. Cujus radix Chald.
יְהִי significat *deprimere, incurvare* &c. Atque de omnimo-
da corporis depressione solet usurpari: quae non tantum
quoad ventrem, sed & pectus, itemque caput fieri potest,
vid. i. Reg. XVIII. 42. vt psalmus לְלֹא הַנָּגֵן עַל de Satana
adhibita idem dicat, ac super depresso tuum & incurva-
tum tu incedes: Scilicet (α) quoad *flatum*, quo tanquam
Princeps coelestis non ita pridem erectus, & reuerentia di-
gnus incedebas: summo & aeterno fruebaris bono, Deo
videlicet, & inter sodales versabaris amicissimos & suauis-
simos; inter quos nulla fuit discordia, & nullum odium.
Ut hac ratione omni creatura ilia cum illis felicior exti-
teris, nunc vero creatura quauis, etiam minima, deterior
factus

factus : עַל גָּמְךָ in depresso & humillimo statu viuere co-
geris, ejectus ex principatu, quo dignus non eras amplius.
Judae v. 6. (5) Depressus incedes, quoad intellectum & vo-
luntatem. Olim nonnisi diuina, diuinaque voluntati con-
sentanea meditatus; nunc non nisi terrena & abjecta medi-
taberis: amissa veritate, sapientia, sanctitate & salute, exspira-
ravit apud te omnis amor, reliquarum virtutum mater. Hinc
odium & inuidia reddent te inquietum, & depriment te ita,
vt miserrimus omnium עַל גָּמְךָ super depresso hoc tuum sis
inceffurus, mendax, latro & impostor factus *Job. VIII. 44.*
Et in his, cum nulla rei cuiusquam solida voluptate afficia-
ris tuum quæsturus delectamentum; nullum inuenies, nisi
caducum, turpe & breve: cuncti bonitate priuatus, ex malitia
vero totus quasi compositus eris. Ut magna sit creaturis
aliis omnibus bonitas concreata, qua gaudent, & suo modo
fæse oblectant; tibi tamen nulla. Si quid aduersi contingat il-
lis, non tamen aeternum est: mortuæ enim carebunt sensu.
(7) Tanta non amplius erit tibi quoad *actiones* tuas potentia,
vt suscipias & perficias, quicquid libuerit, quemadmodum
Johannes *Apoc. XII. 9.* ad hanc phrasin digitum haud obscu-
re intendens, explicasse videtur. Huius nunc repas: ne in
hominem amplius insilire pro arbitrio liceat. Quem licet
fraude & dolo deceperis, atque ingentem in eum malorum
cumulum deriuaris: ut peccatorum memor etiam quando-
que conqueratur: *Incurvata est viue in puluorem anima mea,*
adbaeret terrae venter meus Psal. XLIV. 26. habebit tamen quo
refugiet, ad victorem scilicet tui, tuaeque cohortis pessimæ;
qui erectum ex puluere, reddet felicissimum & beatissimum:
qualia tu sperare nunquam poteris; vide hanc in rem WIF-
SIVM. *Oecon. foed. lib. IV. cap. I. §. IX. p. 557.* & WINCKL.
p. 25.-32.

§. VIII. Probamus jam porro (6) idem ex altero ma-
ledictionis membro, quo serpenti seductori haec poena de-
nunciatur, quod pulurom sit esurus dies vitae. Non posse
haec verba in sensu proprio accipi, supra in *Sect. II. §. X.* est

euictum. In sensu figurato autem & improppio iisdem poe-
 nam *sensus* Daemoni adhaesuram exprimi, haud videtur
 absonum statuere. Praesertim, si Scripturam Sacram se-
 quamur ducem, quae varia nobis loca suppeditat, phrasin
 & totum hoc negotium mirifice illustrantia. Solet nimi-
 rum Scriptura pulueris schema ad res diuersas designandas
 adhibere, prout verbo modo huic, modo isti, vocabulum il-
 lud jungitur. Estque interpretum non inutilis, sed huc ap-
 prime faciens, obseruatio, qua distingunt inter *os inferere*
 in puluerem: inter *inclinari ad puluerem*: & inter *jacere in pulue-*
re: itemque inter *pulucrem lingere* & *pulucrem edere*. Ea vero
 phrasium adductarum ratio est, vt, tribus prioribus diuer-
 sios & subordinatos afflictionum, quas pii experiuntur, gra-
 dus; duabus vero posterioribus, impiorum ecclesiae hosti-
 um prostratorum clades, ignominias, & ruinam describi
 credamus. Vnde plerumque, si non semper, duas poste-
 riores partim de quibusvis impiis ob peccata proaeretica
 & continua angores & tremores infernales quondam, ipsas
 que inferni torturas experturis: partim de Satana ipso ea-
 dem, licet gradu intensiori, jamtum paciente & adhuc
 passuro, in Scriptura S. sub eleganti accommodatione vsur-
 pari obseruamus, vt patebit in sequentibus. De iis itaque,
 qui, dum multa sustinent aduersa, patientes sunt, & nihil
 contra moliuntur, dicitur, quod *os inferant in puluerem*,
 haud aperientes illud, ne vel murmura, impatientiae do-
 cumenta, edant, vid *Tren. III.* 28. 29. Sunt vero priorum
 multi, quibus alii necem intendunt; vt veluti oves maesta-
 tionis destinatae oberrent, & sic longe plura patientur; In
 perferendis tamen adhuc robustiores sint. Horum anima ad
 terram inclinata dicitur *Pf. XLIV.* 23. 26. Qui denique vix
 amplius spiritum trahunt, cum miseriarum oneribus ingra-
 uescitibus jamjam succumbere, aut animam exhalare
 videantur; illi dicuntur *jacere in puluere*, genibus & corpore
 prostratis, Christi auxilium implorantes *Pf. XXII.* 30. De his
 non solet dici, quod ipsum puluerem lingant aut come-
 dant:

dant: qui solis impiis & Diabolo, tamquam captiuis, summae ignominiae cibus esse debet. Phrasibus scilicet defumtis ab antiquo hostes deuictos conculcandi more: de quo *Jes. X. 24. Baruch. IV. 25.* Vbi non aliter, ac si puluerem terrae sub victorum pedibus deuorauerint, videbantur. Vid. *Jes. XLIX. 23. Psal. LXXII. 9.* Non vero obstat nobis *Pf. CII. 10* quando Dauid de se ipso, citra dubium regenito, conqueritur; quod cinerem comedat sicut panem. De se enim conqueritur, qualis esset extra statum gratiae diuinae positus, homo scilicet miser & inferno dignus. Ut si hunc suum statum naturalem, ejusque perniciem, expendat, quae solum hostes sui respiciant, eum tractantes, ac si ipse piaculum esset omnium, atque hinc ipsi illudant, & conjurent adversus eum; non aliter possit, quam lachrymis misceat potus suos, & tandem comeстurus sit cinerem sicut panem, h. e. in aeternum igne infernali sit excruciantur; nisi in gratiam, per Messiam recuperandam, recipiatur: in qua vt ipse cum aliis conseruetur, DEVM precatur humillime. Aut, si haec minus placuerint, poteris cum aliis locum accipere de pane cineribus confisperio & deturpato, ex capite Dauidis contristati incidentibus. Ita enim retinebitur sensus literae proprius, obseruabiturque modus lugendi apud Hebraeos receptus, quem frequens in Scriptura phrasis, de cinere capiti insperio, insinuat. Caeterum, Diabolo humani generis hosti infensissimo ναῦλος εξοχὴ phrases istae competunt, vt, si impii lingant puluerem; hoc ad Diaboli, puluerem tanquam cibum perpetuo deglutientis, exemplum fieri sacer codex testetur, vid. *Mich. VII. 17.* Haec etiam est causa, cur illi tantum supremis quasi labris degustare dicantur; hic vero plenis veluti buccis puluerem deuorare, juxta *Jes. LXV. 25.* Quae loca, cum supra *Sext. II. §. X.* fusi sint diducta, adjecta ipsorum explicationem genuina & commoda, omnino huc conferenda sunt. Testantur enim illa poenae grauitatem, sub hac pulueris comestione delineatam. *Quod, dum homo lapsus panem coelestem, eum-*

que dulcissimum sit esurus, atque sic vitam aeternam amissam per illum recuperaturus *Job. VI. 58.* Serpens ad nauis vsque puluere velci cogatur, omni spe restitutionis in dignitatem, cuius jacturam fecerat, praeclusus. Contremiscet semper coram Deo, vt hominum timor, qui juxta *Psal. CXVI. 3.* satis subinde magnus esse solet, non sit comparandus cum Diabolico: sed tanta, inter hunc & illum existat, quanta est lambentis & deuorantis, differentia. Puluerem etiam comedet Satan, non modo vt hostia Christo deuictus & vincitus, & ad ejusdem pedes prostratus *Col. II. 15.* sed & quatenus ejus actiones nonnisi circa terrena, ne puluisculo quidem digna, versantur. Sic puluere vescitur, quando in iis tantum sese exerit virtus ejus, qui terrenis sunt addicti. Hi enim terra saepe vocari solent: quae significatio valde frequens est in Apocalypsi v. g. *Cap. XVI. 1. 2.* qui vero coelestia querunt, eos fugit *Jac. IV.* Cibus ejus quotidianus est, perficere voluntatem suam, quae haec est, vt mortales ad varia flagitia perducere, & tandem ad se rapere valde laboret: quemadmodum cibus Christi etiundem deuinctentis erat, facere voluntatem partis sui *Job. IV. 34.* Denique ipsum hominis corpus per mortem destructum terra & puluis vocari solet hoc ipso *Gen. III. 19.* item *Eccles. XII. 7.* & hoc etiam ille deuorat & destruit; licet mediate per peccatum, quod introduxit, & mortem illud subsecutam: in hoc vero cum peccatum quoad electos faeuire desinat, cessat omnis Satanae furor, quae pluribus notat B. HOSMANNVS p. 106. Puluis res abjectissima est, quem nec jumenta, nec ferae agri appetunt, vt, si creatura rationalis eodem vescatur, nil nisi incommoda, morbos & ipsam tandem mortem sibi sit attractura. Ut ita Deus Satanae poenam infernalem sub re vulgari nobis exhibitus, schemate hoc egregio non sine ratione fuerit usus, ad docendum, ineffabile irae suae pondus eundem premere. Abjectissimus enim ejus status est, & simul molestissimus, vid. *WINCKLER VS p. 38. seqq.* Et hoc respxis-

spexisse videntur prisci gentis Hebraeae magistri, illo circumcisionis ritu alias perquam absurdo, quando resectum pueruli, octauum diem agentis, praeputium pulueri injiciunt, quo de conf. BVXTORFFIVM Synagog. c. IV. p. m. 104. seqq. aliosque in vulgus notos. Caeterum, quod Diabolo injungitur, ut puluerem edat כָּל יְמִין וְלְזִבְחָה hoc nostrae sententiae non obest, vt ut de serpente naturali quibusdam videatur commodius dici: quia hic tandem sit finem vitae consecuturus; Diabolus vero nullum. Plus enim hic non dicitur, quam quoad victurus est daemon, esse illum puluerem deuoraturum. Atqui viuet sine fine, E. pulverem deuorabit sine fine, nullaque ipsi spes liberationis est relicta: quicquid etiam somnient moderni aeterni Euangelistae; non quod pueri in faba, in hac phrasu se inuenisse, credentes. Eadem enim ratio videtur hujus phraseos, quae est particulae donec & similium, ex qua nullo modo consequitur: omnibus diebus vitae suae edet; E. aliquando non edet, conf. omnino WINCKL. praf. ad I. H. HORBII medit. pass. §. I. II. III. V. VI. IX.

§. IX. Non arridet quidem plerisque haec versum 14. explicandi ratio, eo quod literam deserat, quae sit pro virili seruanda. Vnde & JOH. CLERICVS ad h. I. f. 34. hanc refert inter allegorica, quae ipse vocat commenta, quaeque superioribus iudicis non satis factura opinatur. Resp. Si ita concludere liceret, concedendum tandem foret in Judaeorum Socinianorumque sententiam, qui Diabolum eliminant ex toto lapsus negotio. Nec enim in versu 15. vlla sit Satanae mentio: cur non & ibi naturalis, isque solus, intelligitur serpens; & cur literam deserunt in eo; caput, semen &c. non de serpente, sed de Diabolo allegorice exponentes? Quae ipsis hic deserendi literam fuit necessitas; eadem & nos coegerit, vt vers. 14. allegorice exponeremus. Quia in serpentem aequo non quadrare ostendimus Sect. II. prolixius. Nec commenta sunt, quae ipsa Scriptura S. continet & recludit. Nec est ad ignorantiae laudabilis asylum configendum, vbi ipse di-

uinus Spiritus viam sternit difficultates oborientes superandi, docetque, quomodo omnes circumstantiae poenae, hic serpenti cacodaemoni infictae, quem potissimum plectri oportuit, conueniant. Allegorias quidem in cerebro humano fictas detestamur ipsimet, & seuerioribus judiciis haud satisfacturas credimus. Innatas vero, quales hic sunt, amplectimur grati, donec producatur certior rei difficilis explicatio. Fuerunt quidem, qui aliam sunt ingressi viam, ut serpenti commodius, quam fit communiter, verba versus 14. tribuantur. Hinc de alia verborum versione fuere solliciti. Ita enim PETRVS PICHERELLVS vertit: *Quia fecisti hoc maxime omnium, etiam ferarum maledicte, per omnem vitae tempus humi scripture & puluerem esure, ob id inimicitias te inter & mulierem excitabo.* Verum, praeterquam quod extum ita distrahere, ejusque verba miscere non licet: accentus, quos susque deque habuit, nos aliud docent. Facit enim ille & majorem quam Cum accentus distinctius, ditionis Dominus, perfectius diuidat, quam subdistinctius ejus cujuscunque ille sit dignitatis. Nec quodnam in hac versione & sit officium apparet. Satis preinde fuerit plures, non viam, constituere propositiones. Et si denique penitus inspicias, parum a communiori erit diversa, nisi quod ἀπόδα & νοεωφάγον non demum post lapsum factum esse serpentem insinuet.

§. X. Probamus vterius (7) ex egregia versus 14. cum 15. sive rem ipsam, sive constructionem species, connexione. Illa vero, ita se habet, ut versus 15. allegoria nihil aliud sit, quam hactenus expositae in versu 14. continuatio & confirmatio. Qui enim ventre attingere terram, & terrae puluerem quasi comedere debent, tanquam deuieti; illis bellum intercedat cum hoste, & jure belli in manus hostis victoris veniant, necessum est. Ut itaque Spiritus 8. allegoram, a bellandi & antiquo hostes conculcandi ritu defuntam, continuet, & nemo de victoria a Diabolo reportanda dubitet: nunc versu 15. subneicit bellum, belli que euentum infelicem ex parte Satanae. In quo futuram sit,

fit, vt pedibus quasi conculcetur, & caput ejus plene conteratur, atque hac ratione puluerem terrae ad instar illorum *Jes. XLIX.* 23. deuoret in aeternum: modo tamen haec etenim exposito. Hinc etiam tam arcta inter versum utrumque intercedit constructio, quando per praefixum & coniunguntur, & suffixum secundae personae constanter idem maneat. Illud quidem & diversimodo solet verti, atque illi, qui sensum diuellunt, peculiare *versus* 14. subjectum serpentem, & peculiare *versus* 15. Diabolum constituentes, exponunt per *praeterea*. Vbi ex praecedentibus ad integrandum sensum, vocem נָבָל cum נְאָל subintelligant, necessum est, quia ad alium verba sunt, quam sunt facta *versu* 14. quae contortam satis reddunt constructionem. Ut taceam, significacionem רֵב & continuatiam praesupponere aliquid in praecedentibus, quod respiciat. Vide *I. Sam. XXVII.* 18. 19. cum hic ex abrupto noua ad nouum subjectum instituatur locutio. Sponte vero omnia fluunt, si vel particulam *causalē* esse dicas, quia ex contritione illa & bello continget, vt puluerem edat: vertasque per *namque*, siue *eo quod*, juxta Magnifici nostri DANZII *Interpret.* edit. plen. f. 193. *Membr. I. Num. 5.* vel nude copulationem: *Et inimicitias ponam &c.* Ita enim aliquid supplere, aliudque constituere subjectum, quam in praecedenti versu fuerat insinuatum, haud erit opus. Autratio detur, cur de diuersis in utroque sit sermo, cuius ne quidem leuissimum habetur indicium; nisi ab aduersariis concludi debeat: *Quia versu. 14. agitur de serpente naturali, ergo & versu. 15. Eo quod arctissima esset connexio, & nihil contrarium persuaderet dum praesertim caput, semen &c. in serpentem rectius, quam in Diabolum quadrant proprie.* Sic vero fiet, vt Prot-Euangelium eneretur penitus. Quae dubio procul causa extiterunt Cel. TAPPENIO, vt utrinque, tam in *versu. 14.* quam *15.* conjungeret serpenti naturali Daemonem, & neutrum vellet admitti absque altero. Qui tamen impeditum magis habet negotium, cum non tantum docendum ipsi sit, qua ratione Daemo-

Daemoni in sensu, quem vocat primario, mediato licet & figurato, competant cuncta; sed praeterea quoque ostendere debeat, quomodo in serpentem naturalem eadem ipsa verba quadrent, sensu proximo & immediato, licet secundario & inadaequato. Quod adeo difficuler successisse eidem, supra accepimus, & ex deinceps dicendis vterius enitescet, vt nullum fere sit dubium, quod vulgarem premit sententiam, quin & ipsi officiat, hoc vnicum si exceperis: quod inter vers. 14. & 15. nexus faciat commodiorem, quam in communisententia fieri vel solet vel potest. Taceo jam, quae praeterea de vnitate sensus literalis in uno eodemque loco superius fuerint mota. Nostra vel hoc nomine omnibus se commendabit magis, quod hoc sit fulta tibicine: de quo serpente loquitur vers. 15. de eodem intelligendus venit vers. 14. per dicta modo. Atqui de solo serpente Djabolo loquitur vers. 15. ex concessis. Neque enim Christus caput serpentis proprieita dicti contriuit. Ergo,

§. XI. Corroboramus igitur (8.) nostram sententiam, quia tamen fuisse serpentem dicendum est, quem inter & mulierem, hujus item & illius semen, inimicitiae summae intercedere debebant ob hanc ipsam maledictionem. Tantum vero odium illud non est, quod aduersus serpentes naturales homines concipiunt. Majus saepe persentisunt aduersus alia animantia, viperam, murem & ipsam felem, experientia teste: vt hac praesente, apud quosdam corporis & animi mutatio fiat, quamvis eam adesse saepe nesciuierint. Ino vero in deliciis quibusdam esse serpentes, vt Aegyptii aliique vescantur iisdem, a JOH. GERHARDO VOS-SIO de *Idolatria. Tom. II. Lib. IV. Cap. LXII. f. 120.* adit. Amstelod. Item PLINIO *Lib. V. Cap. VIII.* de Troglodytis serpentum carne vescentibus, aliisque est obseruatum. Et experientia docemur, quomodo alii eosdem tractent, vide eundem VOSSIVM *Lib. IV. Cap. LVIII.* Consentit quidem in haec tenus dicta JOH. CLERICVS in h. l. f. 35. verbis jam supra ex parte productis, quando *ex reip/a*, inquit,

quid, appetet serpentes non esse animalia omnium miserrima, ~~aut~~
 hominibus adeo inuisa, ut nulla alia aequae prosequantur odio. Nam
 lacertae inter reptilia, omnia, quorum venenatus morsus est, aequae
 ab hominibus male habentur. Ut suae tamen seruiat hypo-
 thesi, qua ipsi omnis in serpentem naturalem cadere vide-
 tur poena in utroque versu; subnectit, sunt tamen inter ea, quae
 maximo odio prosequimur. Quinam vero illi! & unde proba-
 bitur maximum illud odium! Summum enim aduersus
 istiusmodi serpentem, qui prae omnibus animalibus male-
 dictus & grauissimae irae divinae subjectus viuit, intelligi
 debet: illi vero, quos Clericus intelligit, ipsi sunt animantia
 terrae. Nihil etiam ad hos lapsus: unde nec poena. Vni
 serpenti haec adscribuntur: nec reliqui puniri poterant &c.
 In Satanam vero haecce apprime quadrare, majori probatio-
 ne nititur, ut nemo etiam fere de eo dubitet. Ασπόδον enim
 inter hunc & genus humanum etiamnum geritur bellum:
 quia idem ille est, quem Paulus Eph. VI. 12. graphice ad-
 modum depingit. Atque hinc odium & inimicitiae aduer-
 sus eundem summae: quae in muliere finitae non sunt.
 Haec enim in textu sola nominata, suos omnes posteros
 simul includit.

§. XII. Ut vero textus verba explicando exhauria-
 mus, nihil eorum, quod hoc pertinet, praetereuntes; duas,
 sed breuibus, lubet expedire questiones. Quid (α) per
semen serpentis (β) per *semen mulieris* veniat intelligendum?
CLERICVS, qui GROTIUS, ut ferme ubique,
 nisi quod aliquando pejor sit ipso Grotio interpres, vide-
 tur secutus, denuo per illud literaliter intelligit omne ser-
 pentum genus & species, ex uno pari, quod tempore la-
 psus extiterit, descendentium. Quam tamen sententiam
 omnino subvertunt, quae hactenus aduersus eum sunt al-
 lata: ut jam denuo eidem obterendas immorandum non
 sit. Caeterum impropre exponentium, alii reliquos sedu-
 citoris Diaboli socios infernales; alii omnes homines im-
 pios, qui *Psal. LVIII. 5.* cum serpente comparantur, & in
 Nouo

Nouo Testamento Matth. XXIII. 33. expresse ὁφεις, & γεννήματα
 εχόντων, itemque i. Job. III. v. 10. τένυα τῷ Διαβόλῳ vocari sole-
 ant, intelligunt. Et haec posterior, post Clericum allega-
 rica obiter tangentem, superiori anno pluribus defensa est
 a MEINOLDO BOESEKEN in *Biga disquisitionum Philo-
 logicarum* Lugdun. Batau. 1711. in 8. edit. p. 5. Haud pro-
 babilis vero nobis est haecce interpretatio. Dum enim
 per lapsum protoplastorum omnes posteri peccato infecti
 in gehennam erant detrudendi; Deus vero eorum omnium
 misertus, nunc sit in eo, ut omnibus, nemine excepto, me-
 diatorem constitueret, ac in illo spem faceret recuperandae
 salutis; atque etiamnum, quamdiu viuunt impii, habeant
 gratiam pulsantem & excitantem: ideo statim in communione
 omnium solamine Prot-Evangelico horum inconuenienter
 facta fuisset mentio inter eos, qui per Messiam ita sint
 proculcandi, ut in aeternum puluarem comedant. Nec enim
 tanta, quanta, h. l. intelligitur, inimicitia est inter Christum
 & impios quoad in hac adhuc vita degunt; quin potius
 pro conuersione eorum semper orat: ut ratione peccato-
 rum suorum ὁφεις & τένυα Διαβόλῳ, faceret per conuersio-
 nem τένυα τῷ Θεῷ. Serpens itaque in herba latet, quan-
 do, praesertim a Reformatis, asseritur, intelligi ibi impios o-
 mni gratia destitutos, atque hinc ex absoluto decreto da-
 mnandos. Obtinet proinde prior illa: quia nemo in du-
 bium vocabit, Satanae non modo ea conuenire, sed & ma-
 xime, in eo complementum esse nacta. Redit vero denuo
 hoc, pertotum historiam schema serpentis, sub quo appa-
 ruerat veterator iste, extendi; quo Moses fuit vsus hacte-
 nus. Non enim proprie Satanas semen habere dici potest,
 cum Spiritus sit Epb. VI. 12. licet improprius, semen scilicet
 non generationis, sed imitationis, & ὄντων φύγας seu con-
 fonis eidem tribui queat, & adscribatur passim, de reliqua
 Diabolorum ceterua exaudiendum: cuius varii ordines in
 scriptura Sacra solent recensi. Luc. XI. 15. Col. II. 15. Rom.
 VIII. 38. Et hac ratione, itemque ex hactenus dictis, ru-
 ent,

ent, quae memoratus BOESEKEN ex priori sua hypothesi porro tradit p. 6. Sensu immediato per *semen serpentis* singularem personam, individuum, & hunc peccatorum denotari, ut tamen posita specie ponatur genus. *Quia omnium reproborum si individua proprietas, ut sint semen Diaboli.* Quo de p. 13. clarius mentem suam ita edisserit: *Si scire aueas, quemnam peccatorem per semen serpentis Diaboli Deus indicet?* Respondeo, Cainum. *Quam Jobannes dicit, quod Cain ex 78 novissimis erat, qui est Diabolus 1. Job. III. 8. 12. Ad hanc enim diuinam phrasin digitum intendere, quis dubitet?* Quis vero dubitet, haec falsam illam & modo tactam hypothesin redolere: ac si Deus antequam Cainus natus esset, haecce praedixisset, ut in ipso nato, ex absoluto suo decreto, necessario adimplerentur. Atque sic omnium reproborum subsequentium exemplum ille fieret; vt Abel electorum; *Quae cum sibi vindicent Theologi, paucis saltim tetigisse sufficiet: ne fal-
cen in alienam messim immisisse videamur.* Ut vero illam suam sententiam speciosam magis reddat, (α) ex inductione multorum exemplorum, cum Veteris tum Novi Testamenti a p. 7. - 13. probare eandem conatur: *quia fre-
quenter fit Spiritus S. mos, per aliquem, vel per aliquid singulare nos docendi veritatem aliquam vniuersalem; vel quid nobis virtutis se-
quendum sit, aut virtutis fugiendum.* Sic per Lamechum polygamicæ foeditatem notari; per fidelem Enochum in coelum sublatum de vita coelesti omnes fideles redi certiores: Ex Abrahami fide Paulum commune dogma elicere Rom. IV. Item ex N. T. post alia Hebr. XI. tot. coll. Hebr. XII. 1. huc spectare docet. Licet vero multas his ipsis compleat paginas, non tamen ab illo horum, quotquot adducit, ad semen serpentis, Cainum scilicet, concludi potest. Equidem nemo negauerit, exemplis Sanctorum Spiritum S. faepius hominum animos mouere, dogmata difficiliora illustrare &c. E contrario impiorum exemplis peccata detestari, ac poenis, quae iisdem propter scelera inflicta fuerunt, nosmet in horrorem conjicerere. *Quomodo vero haec*

omnia probent, eadem ratione Cainum, tum temporis nondum natum, per semen tamen serpentis, sensu immediato indicatum, exemplum omnium reproborum factum esse; me non assequi, fateor ingenue. Scilicet disparrima vtrinque est ratio. Ex post factis enim, cum fidelium, tum infidelium, Spiritus S. nobis exempla constituere solet. Postquam Abraham nullo operum merito, sed sola fide in Messiam, hominem saluari prae aliis ostendisset, idque in Scriptura S. signatum neminem latere amplius potuisset; hinc Paulus eundem exemplum, & Patrem credentium in medium producere poterat. Postquam Enochus in coelum sublatus esset: coelestis vitae certitudinem suo exemplo dare poterat. Et sic de caeteris. Eodem etiam modo post quam Cainus summae malitiae specimina edidisset, tandemque fratricidio commaculatus, non poenituisse; (neque enim iis adstipulamus, qui de Caino non desperante ad Gen. IV. 13. ex col. Luc. XVIII. 13. & XXI. 28. nuper varia disputarunt) sed finaliter incredulus exhalasset animam: commode admodum S. Johannes l. c. ad eundem prouocat. Quia ex Scriptura S. omnium primus nequam est, cuius malitia insignis, etiam vberibus descripta in sacriss, nulli fere non fuit nota. Namque exempla doctrinae causa adducta, quoad historiam debent esse nota: si quis secundum ea vel imitari vel fugere aliquid debeat. Cui vero suboleret, de Caino exponendum illud serpentis semen? cuius ne leue quidem vestigium appareret in textu. Vnde merito dubito, num ad hanc diuinam phrasin digitum intenderit Johannes: quin potius ipsam historiam fratricidae Caini, post perpetratum ab eo facinus consignatam, respexisse credo. Quid si enim Cainus ad diuinum nutum, quo Deus Gen. IV. 8. meliora eum docuit, suaequae gratiae abundantiam ipse erat testatus, respuisset? quod (nisi impiam illam in sensu Calviniano distinctionem, inter voluntatem signi & beneplaciti, hic locum habere dixeris) vel maxime potuisset; quomodo tunc hujus sententiae veritas posset sarta testaque

con-

conseruari? scilicet per semen serpentis Cainum impium
 sensu immediato indicari. (3) Idem ille Auctor suae sententiae commodum laudat p. 6. Quando, haec explicatio, inquit, molestiam diuersimode semen serpentis, & semen mulieris interpretandi; illud latius, hoc autem strictius sumendi, evitare: aut hoc latius, sed non strictius. Quae vero quaelo molestia, quamodo Spiritus Sanctus saepius, praesertim in prophetis, qualis & haec est, vnius vocis diuersam acceptationem, facile tamen in oculos incurrentem, nobis insinuat? Magna certe copia istiusmodi ḏivinationis, h. e. refractionis, qua eadem vox in vicinia diversa significazione reperitur, exempla, legentibus sacra occurunt. Ut magnam potius sermonis elegantiam, quam molestiam his ipsis indicari dicendum sit. Ita Ies. LVIII. 10. propheta inquit; Si de promiseris famelico ḥצבָה animam tuam, וְעַמּוֹ וְanimam afflictam satiaris &c. vbi diuersimoda vocis animae acceptio facile apparet. Scilicet in priori sensu denotat beneficentiam ex hilari animo profectam; posteriori vero hominem synecdochice. Item in N. T. Matth. VIII. 22. sine mortuos sepelire suos mortuos. Vbi illud spiritualiter in peccatis mortuos; hoc proprie sic dictos, mortuos indicat. Ita quoque Job. I. 10. Mundus per ipsum factus est, & mundus ipsum non cognovit. Num molestia esset, vocem priorem latius pro tota rerum uniusitate; posteriorem vero strictius, pro infidelibus accipere? Ut taceam innumera alia: quae apud SALOMONEM GLASSIVM in Philol. Sacr. L. V. Tract. II. Cap. III. Col. m. 200. seqq. Edit. Lipsiens. recentiss. videri poterunt. Haud itaque molestum esto Gen. III. 15. semen serpentis latius & improprie de Diabolorum cohorte; semen vero mulieris stricte de semine monadico Messia exponere. Siquidem id contextus & scopus postulat. Quid nunc per semen mulieris indicetur, erit videndum brevibus, quae est altera hic expedienda quaestio, quam sub initium hujus §. indicauimus. GROTIUS cum CLERICO literaliter omnes homines: & hic quidem, si verum sit, ut per serpentem Diabo-

Diabolus indicetur, omnes pios intelligi contendit. Allegorica etiam subnectit prior ille. Quando, sicut allegorice, inquit, mulier ecclesia; ita semen mulieres singuli, qui ad ecclesiam pertinent, Gal. IV. 26. Non vero homines in Scriptura S. tam absolute semen mulieris, sed viri semen plerumque vocari solent. Quod jam laudatus BOESEKEN ingenti exemplorum farragine docet, obseruatque rectissime, per hanc phrasim innui aliquem fine virili opera oriundum, adeoque illam singularissimam ex Jes. VII. 14 explicandam esse. Etenim probe isobseruat, per τὸ σέμαντον humanae Christi naturae veritatem, (vid. huc omnino Leu. XII. 2. seqq.) per τὸ σέμαντον mulieris vero ejusdem humanae naturae singularitatem, describi. Quamuis in hoc non possumus facere cum ipso, dum ex Νῷ nomine, ut hallucinatur, Dei, Christi diuinitatem probare sustinet. Non audemus tantam veritatem tam arenoso fundamento, & ex primis grammaticae fundamentis facile collapso, superstruere, quod dicto jam auctori nec alias est infrequens, ut videre est ex l. c. p. 114. ubi pro diuinitate Christi probanda, phrasim Πατὴρ ἡγετός Exod. III. 2. per appositionem reddendam, Angelus, qui est ipse Iēbus multis virget, quae vel tyro grammaticae refelleret. Secundo, fortior aliquis Diabolo intelligitur; quem nullus mortalium superare propriis viribus potest. Quare optime semen illud individuale Christus intelligitur: qui toti cateruae Diabolorum superandae solus opponitur, & solus abunde sufficit. Ut πορισμάτων quidem & consequenter ad pios redundet fructus istius hostilitatis, & per Christum ipsi superent Satanam Apoc. XII. 11. Rom. XVI. 20. Non vero per se, quod h. l. praecipue innuit; sed per illius sanguinem. Vti monet B. CALQIVS in Bibl. Illust. ad b. l. f. 244. & G OVSETIVS Tern. aduers. Judaeos n. I. §. VII. seq. p. 16. seq.

g. XIII. Probatur (9) quod serpens non naturalis, sed solus Diabolus fuerit seductor. Quia hujus caput a Contritore Christo praecipue conquassatum: & ipse Christus iustum

ictum calcanei hoc ipso fuit passus. En noua Diaboli a Moſe ſub serpentis ſchemate deſcriptio! Quid mirum enim ſi homo pedibus conculeat serpentis caput? quoſquouis modo, & leuiori, ſolet necare: nec vel minimum inde accidit eidem danni. Num diſſicilius fuſſet Euae, vt vel ipſa, vel maritus hunc ſibi praefen- tem ſerpentem contererent; quam femini ſuo, quod illa demum ex ſe expetare debebat, vt praefaret id iſum. Nemo ſanioris judicii haec in ſerpentem naturalem quadrare, cum Judeis, Soci- nianis, aliisque defendet. Satanae vero ſerpentis infernalis ca- put contritum merito dixeris. Quemadmodum enim capitū, praefertim ſi ſerpentes ſpectes, Num. XXI. 6. maxima corporis vi inefl, vt eo compreſſo, de iſpa vita aſtum ſit: ita omnes Sa- tanac insulfus a Christo ſunt repreſſi, omniſque ejus potētas ad nocendum homini nunc eſt ſublatā. Sua enim morte Christus aboleuit eum, qui mortis habebat imperium, b. e. Diabolum: Et libe- rauit, quoquā metu mortis, per omnem vitam obnoxii erant feru- tuti, Ebr. II. 15. Vnde ad Sancti Pauli exemplum quotidie DE- um pacis precantur pii; vt conterat Satanam ſub pedes iſorum breui Rom. XVI. 4. Atque ita Spiritus S. adjuti gratia facile, quo- ties cum iſpo conſigunt, victores exiſtant, triumphum de eodem agentes. Hujus contritionis Symbolum erat vis illa mirifica Chri- ſti diſcipulis confeſſa Luc. X. 19. coll. Marc. XVI. 18. conſirmata exemplo Pauli Act. XXVIII. 5. notante WITSIO Oecon. Foed. Lib. IV. Cap. I. §. XII. p. 55. Calcaneum vero puget Satan, quando nunc Contritoris pedibus ſubjectus, potestate nocendi hominibus erit exuendus. Scilicet fiat, vt Christus quoad inſi- mam ſui partem, quea eft humana ejus natura, diuinae, quea lae- di, pungi & necari non poterat, vniōne personali coniuncta, mortem quidem ſit perpeſurus: ipſe vero morti hand ſuccubitu- rus. Quemadmodum viuere adhuc cenſetur ille, qui quoad mi- nimam ſui partem fuit laetus. Nobis plane ſunt aduersi LXX, quando vertunt: ἀντός ος τηγέοις κεφαλήν ναὶ τὸ τηγέοις ἀν- τὸ πρέπει. ipſe feruabit caput, tu vero feruabis calcaneum ejus. Nam regi ei & regi te, quod praefert SIMONIVS His- Crit. V. T. L. II. C. V. p. edit. cit. 30. & GOVSSETIVS Ter- nion.

nion. aduersi. *Judeos n. I. §. VI.* p. 16. itemque τρέπται & τρέπονται quod
alii codices legunt: tanquam minus graeca communi praefstan-
tiorum criticorum suffragio rejiciuntur. Haec vero non tam
poenae, quam magni fauoris, certitudinem cum serpenti, si ad-
fuisset; tum Diabolo, si hunc intelligent; dare potuissent. Vnde
ISAACVS VOSSIVS magnus ille LXX. admirator & Patro-
nus, sublimiorem his, quam ipsis fontibus, locum concedens,
deseribentium vitio factum esse credit; vt legatur τηγέτες pro τρέ-
πται: & τηγέτες pro τρέπονται perforabis a τρέπω. Verum, p-
terquam quod hypothesis sit falsa, a JOH. HENRICO HOG-
TINGERO in *Thesauro Philolog.* & SIMEON de MVIS in *He-
braicæ editionis* veritate & auctoritate explosa; omnium codi-
cum consensu lectionem Vossianam improbant Critici ad vnum
omnes. JOH. CLERICVS Comment. f. 36. Hebraica lectatus, a-
liam radicis significationem ex Arabica lingua petitan. cum ED-
MVNDO CASTELLO constituit, quo serpenti suo naturali
magis congruum efficiat verborum sensum. Radicis enim حَسْنٌ
in Arabico significatum esse observare, spectare: atque hinc non a-
deo inepte LXX. Int. vertisse pronunciat per τηγέται & τηγέτες,
τρέπται enim interdum esse occasionem captare, obseruare quidpiam a-
tentate. Ut ita diuinorum verborum mens fuerit: Illud capiti tuo, tu
vero ejus calcaneo insidiaberis. Vti & vulgatus itemque Onkelos red-
dunt cum eo. Et haec ipsa est Judaeorum ferme omnium, quae &
Clerico placuit, hypothesis. Nec vero ad parallelismum impurum
delabendum; vbi purus haberi, & ordinaria vocis significatio reti-
neri potest. Obtinet itaque potius consueta vocis Hebraicæ حَسْنٌ
significatio, qua redditur contrivit, confirmata ex duobus aliis
Scripturae S. locis, in quibus solis praeterea occurrit. *Zobi IX. 17.* &
Pf. CXXXIV. 11. Quia non per infidias, sed apero Marte, Satanam
deuicit Christus, ejusque caput contrivit, ex quo Protoplasti so-
lidum capere decebant solacium; quod ex illa obseruatione haud
quaquam potuissent. Audiendi tandem prorsus non sunt, qui
τὸ ΣΩΝΑΡ & ΚΡΥ ad tempus, quoad initium ac finem descri-
ptum, referri volunt, qua ratione omne solacium primis parenti-
bus eorumque posteris hic praebitum euanesceret, nec mulieris
semen

semen p̄ae serpente quicquam obtineret priuilegii, imo serpens ille cum semine suo vicit, mulieris autem semen deuictum si- steretur.

S. XIV. Denique (10.) probatur, quia ipsa Scriptura S.N.T. idem passim nobiscum docet de serpente infernali, omissa omni serpentis naturalis mentione, v. g. Apoc. XII, 9. itemque Cap. XX, 2. ubi diserte dicitur, serpentem hunc esse Diabolum totius mundi seductorem: qui primus mendax, & antiquus serpens, quo ex naturalibus nullus fuit antiquior: sua astutia seduxit Euam, 2. Cor. XI, 3. coll. Job. VIII, 44. Ex quibus B. HOSMANNVS p. 100. validum argumentum deduxisse vide- tur: Quicunque per mendaciam primus est homicida factus, ille est Diabolus: Atqui serpens juxta 2. Cor. XI, 3. per mendaciam & astutiam, seducendo Euam, est primus homicida factus: ergo serpens hic fuit Diabolus, non naturalis aliquis. Curo vero serpens vocetur, ac sub serpentis schemate sistatur historia lapsus; ratio supra data sufficiet. Non, quod serpente vero usus fuerit: nec, quod ob similitudinem tantum, qua respectu astutiae cum serpente comparetur, vocetur serpens. De quibus testatur CLE- RICVS f. 27. Volunt non incelestes Theologi, ad loca modo adducta, nullum apparuisse serpentem proprieta dictum; sed da- monem eo nomine significari. Longe tamen probabilius est, ali- quod corpus oculos Euae incurrisse; cui sermonem & argumen- ta tribueret. Quicquid etiam hic in contrarium disputet VI- TRINGA ad Apoc. XII, 9. p. 927. contendens causas ab instru- mentis suis nunquam denominari; quem eidem manifesto re- fragetur supra aliquoties productum Samuelis Iarvati exemplum, ipsaque Bileamī historia, vel ad mentem VITRINGAE accep- tā, eundem refellat. Concedit namque, Angelum lingua asin- nae Bileamitiae rexisse, absurdum tamen judicat, angelum istum asinum appellare. Quum non Moses tantum prohibeat Num. XXII. 28. Jeboua aperiebat os asinae, ut NB. hacc diceret Bileamō; ac rursus vers. 30. illa dicebat Et c. sed & Petrus 2. ep. II, 15. totidem verbis ἀφενον ὑποσύγιον εν ἀρχαίπερ φονή Bileamum

coarguisse restatur, quod angelum lingua asinae fecisse, fatetur
 dictus auctor. Palam ergo est, angelum illum ὄποιον ἀφανῶν
 & asinam appellari, eo quod hac instrumento & organo vñs
 fuerat? nigrae angeli pectora pro corpore
 ismo §. XV. Excipi solet, Satanae nunc demum maledixisse
 Deum, haud probabile videri. Quia ante hominum seductionem
 jam a Deo defecerat, poena simul affectus, ut a facie Dei remo-
 tus in tartaris lateret, & fueret in aeternum. Quo fuisus vero
 eadem jam tum examinarunt laudatus D. TAPPENIVS disp.
 cit. §. XLIV. p. 33. Itemque M. ORTLOBIUS Secl. III. §.
 XII. 3 si eo brevius id ipsum saltē tetigisse nobis sufficiet.
 Haud quidem ad stipulorū iis, qui cum JAQUELOT *Dissertationes sur le Messie* p. 43. 1699. Hagae Comit. edit. primam ten-
 tationem, primum peccatum angelicum constituisse, acque sic, eo
 commisso, poenam haec tenus explicatam, eidem fuisse inflictam,
 propugnant. Coelestis enim felicitatis jacturam prius passus,
 homines se feliciores, & in statu gratiae constitutos, ferre non
 poterat. Vnde ad seducendos protoplastos hac sua inuidia, quo
 sibi similes redderentur illi, fuisse impulsum, longe est probabi-
 lius. Nec enim jam demum callidus fieri incepit: sed fuisse di-
 citur in limine historiae Mosaicae Capitis hujus tertii. Si calli-
 dus & astutus fuit; ad bonorum Angelorum classem non specta-
 vi amplius: quibus nulla calliditas, sed vera sapientia coelestis in-
 est. Quod vero ejus ante hominis lapsum a Moysi non fiat men-
 tio, ratio est, quia directe in Deum, superbiendo fortasse, (vide
 BRIANVM TVRNERVM de primi peccati introitu, &
 ipsam vocis ἀμαρτίαν, Hebraeorum γε respondentis natu-
 ram & indolem expende) peccauerat, quod hominem adeo non
 concernebat: Qui juxta legem sibi praescriptam viuere, & ne ab
 illo alio, quicunque fuerit ab eadem dimoueretur, sibi cauere
 & poterat & debebat. Quo ipso, protoplastis aliiquid de ange-
 lorum lapsu, speciali revelatione, innotuisse, pertinaciter non ne-
 gauero: publica tamen poenas illius infingendas declaratione o-
 pus non fuit, quam, postquam seducti essent homines, Deus ma-
 jori


ori jure publicabat. Ut (α) dum jam recuperandae salutis amissae spem facere Deus homini voluit; majori ignominia notatur Satanus. Atque (β) noua etiam afficeretur ille poena, aut novo poenae anguento. Forte enim liberior ante seductionem ejus fuit potestas, quam nunc Deus prorsus imminutam, cumque per ipsam seductionem feliciter a se peractam, plenum in hominem dominium se esse adeptum laetaretur, hoc ei prorsus nunc eruptum, ipsumque vinculis magis constrictis penitus suppressum, ipso denique homine, imo omni bestia deteriore, & infeliciorem esse voluit. Ut ita aliqua sit differentia hujus poenae & illius. Haec enim priori accessit: diuersa item ratio, cur haec dictata solenniter fuerit, illa vero non. Placent, quae hanc in rem differit Theologus ecclesiae nostrae Cel. Claude mea major, FECHTIVS in diss. cui tit. praescriptis: Selectarum ex sacris doctrinarum farrago, th. V. huc transferenda: certum est Diabolum esse lapsum statim ab initio, nemine existente, qui illum pelliceret, contra vero Diabolus homines seduxit, illisque falsam opinionem de inuidia & veritate in mentem induxit, quam ob causam etiam maldictus est Gen. III. 14. quia fecisti hoc, maledictus eris &c. q. d. quia tu ipsis non tantum peccasti, sed etiam homines seduxisti, ideo nulla gratia te sum dignaturus. Et post aliqua: Non negarem, si Diabolus solo lapsu a Deo desecisset, nec homines insuper seduxisset, nec Deum erga homines calumnias & mendacis proscidisset, --- Deum ipsi mediatorum per ingentem suam misericordiam fortassis constituisse. Quippe Diaboli lapsus acque diuina misericordiae subjectus erat; quemadmodum hominum. Ad minimum ipsis redemptio non repugnat.

S. XVI. Qui hodienum mysticis nimium quantum delestantur; vt licet sint illata, aliquam tamen probandi vim apud ipsos habeant: objicere subinde solent ex Burmanni, vt ajunt, Gesek und Zeugnūß, vbi analogia inter lapsum & restitutionem, etiam quoad hanc materiam, instituitur. Quod quemadmodum Christus duabus constitut naturis; ita & serpens ille seductor duabus constituisse dici possit. Falsa vero hic latet hypothesis, cane pejus

& angue fugienda. Fingamus enim tantisper, Satanam verum fuisse serpentem ingressum: non tamen duabus naturis constitisse dicendus est; sed παραστάτης saltē sibi junxit serpentem. Quis admitteret, Diabolum ex obsessis loquentem duabus constitisse naturis? Ita etiam angelos, & Christum humana forma induitum, duas habuisse naturas? Sic enim Christus aliquoties fuisse incarnatus. Et cur Satanus, si analogia lapsus & restitutionis, prorsus conficta, esset seruanda, sibi non junxisset hominis naturam? Sane alia ratio est, cur Christus duabus naturis constare debbat, ad redimendum genus humanum: & alia, cur Satanus, ut seduceret protoplastos, sponte hoc schemate uti voluerit. Hominem enim illum esse oportuit, ut posset pati; & ut sufficiens infinitae Justitiae Λύτρον perfolueret, oportuit ipsum DEVM pati. Insulsa est itaque haec analogia lapsus & restitutionis, qua nihil contra nostram sententiam poterit probari: Ut facile ea carere possimus; contenti, sufficientem nobis per Christum satisfactionem esse acquisitam, quam grata & deuota mente nobis applicare studeamus Christo vero serpentini capitī contritori, hostisque hujus infernalis potentissimo viatori & triumphatori gloriōsissimo, omnes laudes, omnemque cultum sincerum tribuamus: & ad ejus exemplum masculine, dum viuimus, pugnemus & militemus aduersus varios animae nostrae hostes. Quia eo felicior & certior nunc erit victoria; quo magis debilitata est Satanae per Christum potestas. Ut, dammodo fide non excidamus, certissima sit nobis futura animae nostrae salus. Haec enim est

teste Petro I. Epist. Cap. I, 9. fidei nostrae

F I N I S.



AD
CLARISSIMVM
DN. SCHLOSSER,
Hujus
EXERCITATIONIS PHILOLOGICAE
AVCTOREM
Fautorem & Amicum honoratissimum.

B

Iennium est, quum, post aliquot annos in Academiis Hassiacis, Giessena scilicet & Marburgensi, transactos ad Salanas concederes Musas. Per omne illud tempus adeo constanter, PL. REVERENDI PARENTIS consilio obsecuturus, mihi adhaesisti, vt nullus fere dies abierit, quin latus meum premeres, & lectionibus sedulus interesses auditor. Jubebat laudatus TVVS PARENTIS, ne & hanc scholam sine edito profectuum Tuorum ac industriae collocatae specimen desereres, quemadmodum ante TVVM exacroasibus Doctorum Giessensium discessum diligenter.

gentiam adhibitam fueras publica Dissertatione te-
status. Cumque mihi hanc PARENTIS, TVAM-
que voluntatem significares, peteresque, vt argu-
mentum suppeditarem, in quo ingenii vires peri-
clitareris: Mox in mentem venit praesens, de *Ser-
pente seductore, solo Diabolo,* materia, quam data
sibi opera fusiū explicari voluerant amici ac fau-
tores in vicinis Academiis diuersi, qui me quon-
dam de ea audierant differentem. Placebat TIBI
eo magis, quo altius jam de his meditatus fueras,
quae, occasione aliquoties oblata, in lectionibus
meis hanc in rem exceperas. Breui igitur, quo
ad primam sectionem, scigraphia, qua, cum sen-
tentias, oppido varias circa hoc negotium, in ordi-
nem qualemcumque cogarem, tum auctores, pro
vberiore argumenti deductione euoluendos in-
dicarem, cupiebas juuari. Vix eam a me accepe-
ras, cum inciperes ex tenui mea suppellestili li-
braria indefesso studio perreptare singula, quae
huc facere poterant, scripta, cum iis, quae ad hoc
negotium pertinentia collegeram, ac instar apis
sedulae, huic modo, modo isti flori insidentis, inde
in usus TVOS deriuare, quicquid e re futurum pu-
tares. In ordinem tam concinnum proprio Marte
cuncta digessisti, & animi TVI sensa stylo satis per-
spicuo & faciliter ita expressisti, vt illorum, quorum
haec, antequam imprimerentur, legisse intererat,
spcm non expieres modo, sed superares etiam. E-
quidem non es ex illorum numero, qui *Scriptu-*
ram

ram vana potius eruditione, quam vera vitae pietate explicant & exprimunt; aut, qui Doctorum sententias, quos longa Spiritualis experientia edocuit, quique ut duces sequendi erant, temere rejiciunt; prout interpreti minus benigno videri posset. Sed veramo ac non fucatam pietatem cum sana verborum forma studes retinere incorruptam; ideoque in id eniteris, ut occurras dubiis, quae ex difficultate, fundamentum tamen ipsius salutis contingente, moueri solent recentissime. Qui probe perspectum habes, absque vera cognitione omnem, etiam ad angelorum sanctitatem conformatam, vitam, nonnisi fucum esse ac hypocrisii Deo execrabilem: Quemadmodum vicissim cognitio veritatis, quae non ad praxin pietatis tendit, in qua ea se se exerit, non potest non majus exitium atrahere huic, qui ea est praeditus. Potuisse facile vsum hujus TVAE meditationis in farto te & quo conseruando Prot. Euangilio, omnis verae pietatis fundamento, totiusque salutis nostrae acropoli, ostendere, nisi a cathedra Philosophica, ex qua de hoc argumento differere TIBI constitutum erat, illud alienum fuisset. Quare haec resecanda, &, ne falcem in alienam messem immitteres, Theologis erant relinquenda. TIBI vero sufficiebat phrases dubias enodasse, & quicquid Philologia huc pertinens tradit, non illaudabili opera concessisse. Gratulor labores feliciter exaltatos, & egregium industriae TVAE specimen,

vici.

vicinasque Halensium Musas inuisuro, moxque
ad trios lares redituro, omnigenam Dei gratiam
precor, vtque Deo ac Ecclesiae pro insignibus,
quae coelitus obtigerunt, animi erecti dotibus,
multum prosint curae ac labores TVI, ex
animo voueo. Abi ergo bonis auibus optime
SCHLOSSER! meque, quod fecisti adhuc, amare,
ac fauere deniceps etiam perge

Deproperab. d. 14. April.
M DCC XII.

TVI Amantissimo

M. JOH. REINH. RVS.



94 A 7376

ULB Halle
003 263 55X

3




Reto

V017

III.50.

FarbKarte #13



B.I.G.

Black

EXERCITATIO PHILOLOGICA
DE

S E R P E N T E
S E D V C T O R E
N O N N A T V R A L I , S E D
S O L O D I A B O L O ,
AD GENES. III. 1-15.

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. GVILIELMO HENRICO,
DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, AC MONTIVM,
ANGARIAE, WESTPHALIAEQUE ,

RELIQVA

INDVLTV SVPERIORVM,

M. IOH. REINHARDO RVS,
FACVLT. PHILOSOPH. ADIVNCTO,
IN ACADEMIA SALANA
ERVDITORVM EXAMINI
AD DIEM VII. MAII M DCC XII.

S V B M I T T I T
A V C T O R

PHILIPPVS CASIMIRVS SCHLOSSER,
WEILBURGO - NASSOVIVS.

EDITIO QVARTA.

IENÆ, IMPENSIS FRANCISCI BORTOLETTI.

